DE
CHAE METRICI VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

MPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

. D. XIX. CAL. SEPT. ANNI MDCCCLVIII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS JUNG
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT
CAR. WIESZNER, SEM. PAED. REG SOD.
THEOD. BACH, PHIL. DR.
RUD. PEIPER, SUP. MAG. CAND.

VRATISLAVIAE,
TYPIS ROBERTI LUCAE.

Quo fructuosius et optabilius est, eos qui doctrinae metricae Graecorum operam impendunt ex ipsis Graecis fontibus haurire, eo magis mireris, non maius etiamnunc studium in eo positum esse, ut illorum fontium et aditus expeditior et usus iucundior fieret. Solum enim Hephaestionis enchiridium Thomae Gaisfordii iterata cura vitiis liberavit, commentariis instruxit, scholiis e cdd. mss. collectis auxit (tametsi quot quantaque vel in Hephaestionis scriptis aut prorsus indaganda aut certe rectius constituenda relicta sint, v. ill. Augusti Rossbachii de Hephaestionis Alexandrini libris disputatio [1]) luculenter ostendit); reliqui vero de re metrica scriptores Graeci, ab aetate illi qua vixerunt Byzantini appellati, qui quidem editi sunt, alius alii libro ut appendix adiectus „velut membra Absyrti dissipati" leguntur [2]) vitiorum praeterea sordibus plerique ita obruti, ut etiam studiorum cupidissimum absterrere valeant. Neque tamen hos prorsus negligere atque praetermittere par est, non quo ingeniosi sint novaque et inaudita proferant (nam quae ipsi excogitarunt vilissima fere sunt); sed quod veterum grammaticorum libros inspiciendi copiam habebant, nobis ademptam. Postquam enim dolendum fatum optimos quosque de arte metrica libros nobis eripuit, harum rerum conditio talis

1) ad celebrand. id. Oct. Vratisl 1857 scripta. Cf. praeterea quae ab eodem v. d. disputata sunt in ind. schol. aest. Vratisl. 1858 De metricis Graecis disputatio altera) p. 3.

2) Verba sunt Augusti Rossb. (de metr. gr. disp. alt. p. 3.)

facta est, nulla res ut sperni possit quae nondum sit pervestigata, neque ulla sic exilis putari, quam non permagni intersit e situ et caligine erui. [3]" Quamobrem non prorsus inutile esse duxi, unius ex his scriptoribus, Trichae de metris libellum satis corruptum emendare paucaque ea, quae de scriptore ipso eiusque fontibus explorari poterant, dicere, ut si quis postea horum scriptorum in unum corpus collectorum editionem paraturus esset, in uno saltem haberet, quo recurreret, neve viri docti tempus occupatum labor diutinus consumeret, cuius ipsi fructus fore ut paullo uberiores essent speraveramus.

Edidit autem Trichae de metris commentationem, quam una cum Eliae Monachi Herodianique libellis appendicem esse voluit Draconis Stratonicensis a Godofr. Hermanno publici iuris facti, e codice Laurentiano Franciscus de Furia [4]. Qua in re cum Godofr. Hermanni sententiam [5] secutus librum hunc ms. ad verbum et litteram expresserit omnique emendatione abstinuerit, factum est, ut haec prima et ad hunc diem unica Trichae editio vitiis abundet, quae cum magna ex parte levia sint et inter legendum possint corrigi, sunt tamen etiam, quorum difficilius medicina paretur. Quibus quo modo opitulemur videbimus, cum de ipso Tricha quae enucleari potuerint exposita erunt.

---

3) Cf. ibid. p. 6.

4) Appendix ad Draconem Stratonicensem complectens Trichae, Eliae Monachi et Herodiani Tractatus de metris. E cdd. mss. edidit Franciscus de Furia. Lipsiae, sumtibus I. A. G. Weigelii MDCXCCIV.

5) Praefat. ad Dracon. p. VII: Feci autem in Tzetza, pariterque in Dracone, quod mea sententia faciendum in omnibus est, qui primum eduntur, ut ipsam codicis scripturam, quantumvis vitiosam exhiberem, quo ne, quod in Hesychio, Etymologo aliisque multis scriptoribus factum dolemus, de ipsa codicum lectione dubitatio moveri posset.

Atque utinam haec plura essent et certiora! sed quoniam nulla alibi, quod sciam, Trichae mentio fit, verum omnia solis codicibus nituntur, ad primam statim quae solet esse quaestionem, quo tempore scriptor vixerit, non possunt responderi nisi pauca ea, quae ex librorum mss. conditione colligere licet. Quapropter, ne, quibus rebus in exploranda vita carere non possumus, eas in describendis libris repetere cogamur, primo loco de codicibus Trichae disceptabimus, quae exinde de scriptoris tempore et persona sequantur suo quaeque loco addituri.

§. 1.

De Trichae libris mss., tempore, persona.

Pro magna in exiguis et pusillis rebus posteri Byzantinorum aevi sedulitate complura Tricheae commentationis exempla in bibliothecis latere probabile est; constat vero de tribus tantum libris, Veneto, Parisino, Laurentiano. [1])

Quorum primum, Venetum dico, quem in bibliotheca S. Marci asservari e catalogo huius bibliothecae edito compertum se habere Fr. de Furia in praef. Trich. asserit, vehementer doleo quod accurate descriptum nusquam reperire potui. Differt enim a Laurentiano codice, de quo paullo infra videbimus, eo modo, ut Florentino eum vetustiorem esse haud absurde statuatur.

Alterum librum, Parisiensem, Harlesius (Fabric. bibl. Graec. ed. Harl. VI p. 351) et post eum accuratius ut videtur, Cramer (Anecdota Graeca e cdd. mss. bibl. reg. Paris. vol. I. p. 59) descripsit, qui quamquam codici numerum 1881 attribuit cum Harlesius 2881 exhibuerit, non

1) Dubium enim est, utrum quae in catalogo libb. Graec. mss. biblioth. Vatic. a v. ill. Frid. Haase edito (v. Serapeum 1851) sub No. 42 exstat *Ἐπιτομὴ τῶν [ἐν]νεαμέτρων, ἐκ τοῦ ἐγχειριδίου Ἡφαιστίωνος* huc referenda sit, an ad Draconis opusculum (p. 164 sqq.) an per se collocanda.

tamen dubium sit, quin eundem uterque librum significet. Cuius libri quoad huc spectat descriptio Crameriana haec est: „Cod. 1881. Chart. Saec. XV. Continet Hephaest. Enchir. cum schol. et varia opuscula metrica, inter quae fol. 96 Anonymi de metris Pindaricis versibus politicis conscriptum. Huius autem auctor est Isaacus Tzetzes, ut doceor Cod. Bodleiano t. IV. 9, olim Saibant.“ Sequitur deinde tabula, qua continetur scriptorum in codice exstantium index, unde haec adscribo: 8, *τοῦ σοφωτάτου Τρίχα* (sic) *ἐπιμερισμοὶ τῶν ἐννέα μέτρων*. 9, *περὶ τῶν Πινδαρικῶν μέτρων διὰ στίχων πολιτικῶν ἄναρχον*. 10, *ἕτερον σύγγραμμα ἐν πέζῳ* (sic) *λόγῳ περὶ τῶν Πινδαρικῶν μέτρων ἀνεπίγραφον*.

Florentinum denique librum descripsit Montefalconius (Diar. Ital. p. 368 et bibl. bibliothecar. I p. 416 A) his verbis: „Codex bombycinus XIV. saec., Grammaticae variae, scilicet: Magistri Manuelis Planudis Joannis Patriarchae Demetrii anagnostae, Hesiodi et Pindari quaedam; sapientissimi Trichae *Τριχᾶ* de metris. In fine legitur *Ἦλθεν ὁ μητροπλίτης* (sic) *κδ' τοῦ Ἀπριλλίου μενὸς* (sic) *ἡμέρᾳ παρασκευῇ ὥρᾳ πρώτῃ τῆς νυκτὸς, ἔτους ,ςωξη' ἰνδ. ιγ'*. Venit Metropolitanus 24. mensis Aprilis die parasceves, i. e. feria sexta hora prima noctis anni 6868 i. e. Christi 1360 indictione XIII. Qui sit iste Metropolitanus ignoramus.“ Hinc, nisi nimis suspiciosi sumus comperimus, anno 1360 librum illum iam scriptum fuisse; ex quo necessario sequitur, ut Tricha non post illum annum hoc de metris commentariolum composuerit. Ex hoc autem codice quoniam Trichae tractatum sine ulla mutatione Furia edidit, editus hic liber codicis instar nobis esse potuit, immo debuit, quippe quibus ipsum codicem inspiciendi facultas non contigerit. Quod quamquam aegre ferimus, non tamen ideo quae deinceps disputaturi sumus fidem amittere credantur; haec enim non in eo versantur, quo liber manu

scriptus ab edito distat, sed in eo, quod utrique commune est.

Continet vero cd. Flor. sub Trichae nomine (certe ita editus est) complura scripta, quorum tituli sunt hi:

1) Ἐπιμερισμοὶ τῶν θ᾽μέτρων, potissimum Trichae opus, quod idem et cod. Paris. et Veneto exhibetur. Huic antecedit, non ut aliud opus, sed huius ipsius operis pars, qua versuum exempla, quibus in ipsa commentatione utitur uno in conspectu Tricha posuit:

Σύνοψις τῶν θ᾽μέτρων. Condidit enim Tricha omnibus novem simplicibus metris usus 44 vel potius 47 (in tot enim dispescendum) versuum hymnum in sanctam Virginem, non sane deteriorem illum quam multa alia eiusdem generis carmina et quem tum placuisse nescio an iure eo concludatur, quod fuit qui eum per se solum, tanquam carmen exscriberet. Cuius exempli in codice Laur. 125 exstantis discrepantes lectiones Furia adnotavit. Nobis autem idcirco carmen illud magni est momenti, quia ex eo facile colligitur, Tricham fuisse presbyterum. Homo enim laïcus quem dicunt poterat et ipse quidem beatae virginis Mariae laudes carmine prosequi, sed non admodum veri simile est, talibus eum vocibus usurum fuisse, quales verss. 4, 5, 27 leguntur, quas et ad litaniarum naturam proxime accedere pateat, et quarum una certe, versus 4 vox λαβίς, omnino explicari nequeat, nisi qua significatione sacerdotes Graeci ea utebantur et utuntur [2]), intelligatur. Quo cum accedat, quod totum carmen doctrinae christianae praeceptis magnam partem philosophicis (cf. v. 10 sq. v. 13. v. 15 sqq.) et quae studium huic disciplinae de industria tributum testantur, abundat, non videtur mihi temere statui, Tricham

---

2) De qua re cf. Eusebii Renaudotii: Liturgiarum orientalium collectionem. Tom I. p. 195 sq. p. 188 alib. et Steph. Thes. s. h. v.

presbyterum, fortasse monachum fuisse, quem ad modum Isaac et Eliam metricos fuisse monachos constat. Verumtamen ad scripta enumeranda revertamur, quorum alterum est:

2) *Περὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου*, de versu hexametro eiusque affectionibus (*πάθεσι*) opusculum.

3) *Περὶ τομῶν*, epitome sive excerpta primae partis, *ἐπιμερισμῶν*, cuius tamen prima duo capita de metro iambico et trochaico hic desiderantur.

4) *Περὶ τῶν κώλων τῆς στροφῆς καὶ ἀντιστροφῆς καὶ ἐπῳδοῦ τῶν Ὀλυμπίων κ. τ. λ. Πινδάρου*, scholia metrica Pindari, Olympia omnia, Pythiorum primum complectentia.

5) *Περὶ ποδῶν* brevis expositio, cuius extrema pars ob folium e codice avulsum periit pariter atque sequentis commentarioli titulus, quem tamen e capitibus, quae post Eliae monachi libellum p. 81 leguntur cognoscere possumus; agitur proinde hoc loco (h. e. inde a p. 71 v. 14 ad finem.)

6) *Περὶ συνιζήσεως*.

§ 2.

De singulis libri Florentini Trichae partibus quaestio.

Ex omnibus autem his scriptis codex Venetus non nisi primum, h. e. *σύνοψιν* et *ἐπιμερισμούς*, continet (cf. Trich. p. 42). Quod cum ita quis explicare possit, ut librum hunc Venetum mancum esse dicat, remanet tamen dubitatio, an nihilo secius codex Ven. integrum praebeat genuinum Trichae opus; quae liber Flor. praeterea habeat, ea additamenta sint, ab aliis scriptoribus profecta. Nequaquam enim codicem Flor. autographum, ut vocant, sed apographum putandum esse, multa illa et foeda vitia, quibus Trichae libellum et praecipue carmen, obrutum exhibet, do-

cent, quae longiorem etiam librariorum seriem testificari videntur. Nec profecto diligenter sciscitantem argumenta deficiunt, quibus reliqua quinque scripta a Tricha aliena esse demonstretur; et haec ipsa causa est, cur antea codicem Venetum Laurentiano vetustiorem esse suspicatus sim.

Atque in universum quidem nostrae de Trichae scriptis sententiae hoc favet, quod liber Flor. ut ex Montefalconii descriptione apparet, in eorum est numero, qui varia variorum virorum scripta, siquidem cognati quid habeant, complectantur; unde cum eluceat, codicis scribam de industria hoc uno libro quam plurimas de re grammatica et metrica scriptiones comprehendere voluisse, quid mirum, si ut ante Trichae libellum, sic post eum aliorum scriptorum opuscula inveniantur. Singularum autem libri Trichei partium sua cuique sunt argumenta, in quae nunc inquiramus.

Alterius partis, cui titulus est *περὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου,* conformatio non prorsus abhorret illa quidem ab ea tractandi ratione, qua Tricha utitur — nam, ut taceam de quarundam sententiarum concentu (cf. p. 42, 14 cum p. 4, 14 sq.; 43, 9 sq. c. 23, 10) qui fortuitus esse potest, eadem utrique parti est orationis perspicuitas, eadem in fontium usu libertas (quae cernitur v. c. in affectionibus, *πάθεσιν*, alio atque in scholl. Heph. et codice Harleiano fit, ordine enumeratis, cum tamen in hac quidem re unus omnibus auctor fuerit [1]) eadem omnia metricorum praecepta excusandi et commendandi cupido —; nihilo tamen secius propter maiorem etiam diversitatem haec commentatio alii scriptori assignanda est. Quod nescio an doleas, cum quae sub finem leguntur (p. 46) *εἶδος γὰρ μουσικῆς καὶ ἡ μετρικὴ, ὥσπερ καὶ ἡ ῥυθμικὴ καὶ ἡ ἁρμονικὴ, περὶ ὧν . . . εἰρήσεται* c. q. s. egregii veteris alicuius grammatici notitiam probent; tametsi vix credibile est scriptorem quam late paterent quae

1) De metr. graec. disp. alt. p. 16.

illic invenerat penitus intellexisse. Causae autem quibus moti hunc commentarium non esse Trichae censuerimus hae sunt: Tricha cum, ubi in metrorum explicatione ad res venit, quas alibi tractavit, hoc ipsum commemoret (cf. p. 29, 25 sqq. p. 33, 11 sq.), libri a se *περὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου* compositi, quamvis ampla occasio p. 13 sq. se praebuerit, mentionem nullam facit. Quominus vero hanc eum commentationem p o s t e a scripsisse credas, eius clausula impedit, ubi (p. 46 s. f.) scriptor aperte dicit, se de reliquis metris postea disserturum. Qua eadem ex clausula ut facile cogitur, scriptorem et ipsum enchiridium de novem metris simplicibus composuisse, certe componere in animo habuisse, sic manifestum est, non ab iambico eum metro, ut Tricham, sed a dactylico et quidem ab hexametro dactylico exorsum esse. [2]) Neque potest negari in eo aliquam inesse similitudinem, quod uterque scriptor exemplorum gratia ab initio operis versus posuit, quos ipse fecerat, quibus Deum et Sanctos celebraret (vix enim errabimus, si versum p. 43, 24 *ἐν ἡμέραις ἓξ τὴν κτίσιν κτίζεις* hymno in Deum creatorem tribuamus); sed exinde ut utrumque libellum unus idemque scripserit nondum sequitur; imo vero propter ipsam similitudinem exspectari potest, ut idem scriptor alterum utrum praetermissurus fuerit. Gravius etiam argumentum hoc est, quod Tricha versum heroïcum *καταληκτικὸν εἰς δισύλλαβον* esse dicit (p. 14, 9 sq.), qui hanc alteram confecit commentationem identidem *ἀκατάληκτον* eum esse contendit (p. 42, 23 sqq. p. 43, 3.)

Qua in re cum ab Hephaestione eiusque scholiis [3]),

2) Idem probat de metrorum terminationibus digressio p. 43 a v. 17, alioquin vix tolerabilis.

3) Hephaest. (ed noviss. Gaisf.) p. 41, ibid. Schol. Cf. praeterea Schol. mai. p. 189 in: *καταληκτικτὸν δὲ εἰς δισύβαλλον πάντα τὰ Ὁμηρικὰ ἔπη. Ἀκατάληκτον δὲ σπάνιον ἐξ αὐτῶν ὡς τὸ Κύκλωψ τῆ πῖε οἶνον ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.* Aristid. Quint. *περὶ μουσικῆς* ed.

Trichae fontibus dissentiat, tamen non sine veterum auctoritate quae profert statuere videtur; nam convenit ei cum Maximo Victorino (p. 1957.) Accedit ad hanc fontium diversitatem loquendi usus discrepantia. Tricha enim tantum non semper *ἐπὶ τέλει* dicit, cum hic legatur *ἐπὶ τέλους*; Tricha perraro in *εὑρίσκειν* verbo utitur praesenti tempore, sed plerumque perfecto aut aor. II, hic contraria res est; Tricha ubique scribit *λείπεσθαί τινι πρός τι*, hic exhibetur *λείπεσθαί τινος πρός τι*; Tricha cum saepissime potuerit nunquam usurpat voces nonnullas (*τομή*, *κολοβοῦν*, *προκόπτειν*) quae hic frequentes leguntur. Denique si consideraveris hanc partem ex alio quam primam libro [4]) transscriptam (p. 42 *ἐγράφη δὲ ἐκ παλαιοῦ βιβλίου*) et aliquantulum illa mendosiorem esse, non erit credo, cur Trichae eam abiudicandam censere dubites.

Progrediamur ad tertiam partem, *περὶ τομῶν*, quam primae epitomen esse supra diximus; sed quaeritur, utrum ipse Tricha eam excerpserit, quo modo Hephaestionem quoque scimus opus suum ter decurtasse, an alius quis? Equidem alium fecisse credo. Quamquam enim ea fuit Byzantinorum hominum consuetudo, ut quae scripserant in angustias postea comprimerent, tamen non admodum credibile est, scriptorem

---

Heph. p. 208: *ἄρχεται δὲ (τὸ δακτυλικὸν) ἀπὸ διμέτρου καὶ πρόεισιν ἕως ἑξαμέτρου, ὁτὲ μὲν ἀκατάληκτον ὁτὲ δὲ καταληκτικὸν, ἡνίκα καὶ τοῦ τροχαίου κατὰ τέλος δεκτικὸν γινόμενον, ἡρῷον καλεῖται.* Similia praebet cod. Harlej. p. 324 m. Alterius sententiae vestigium apparet, ubi tamen improbatur in Schol mai. p. 162 (*Συνίζησις*) *δύο δὲ βραχειῶν εἰς μίαν μακρὰν, ὡς ἐν τῷ Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, τῆς κε καὶ α συλλαβῆς . . . . τοῦτο δέ τινες οὔ φασιν εἶναι συνίζησιν ἀλλὰ διάλυσιν τῆς τελευταίας τοῦ σπονδείου μακρᾶς.*

4) Qui fortasse is est, quem v. ill. Fr. Haase mihi monstravit in catal. bibl. Vatic. s. Nr. 82 indicatum esse his verbis: *Διάταξις τοῦ ἡρωικοῦ μέτρου καὶ περὶ τῶν ἐν αὐτῷ παθῶν.*

librum excerpsisse, quem ita instruxisset, ut necessaria tantum amplecteretur. Deinde vero multa festinationis atque socordiae vitia excerptor commisit, (cf. v. c. 47, 10, 48, 10), ut de ipso Tricha cogitari nequeat; quo accedit tertium illud, quod hic quoque iisdem in locis *ἐπὶ τέλους* legitur, ubi in altera parte *ἐπὶ τέλει* positum est (cf. 29, 2 c. 49, 5; 36, 12 c, 50, 29). Non autem ex hac ipsa prima parte, ut est in codice Laur. tertiam excerptam esse et per se verisimillimum est et comprobatur ea re, quod nonnulla insunt in exerptis, quae in enchiridio, ut nunc est, non leguntur (cf. 50, 7; 51, 10 versus anacreonteus *ἔδραμον δύσοιστον οἶμον*; quae p. 52 de bacchiis supplentur, et p. 50 v. 19 sq. coll. p. 35 v 8 sq.). Nec tamen ideo dixerim, ex ipso autographo epitomen transcriptam esse; multa enim vitia cum prima parte communia habet (cf. 49, 12 c. 30, 19; 51, 8 c. 37, 6; 49, 26, c. 32, 2). Quam ob rem ita statuo: utramque partem ex eodem libro fluxisse, qui tamen ipse iam derivatus fuerit et depravatus. Quae si recte disputata sunt in promptu est coniicere, Tricham a l i q u a n t u m ante annum 1360, ne nimium dicam, sub finem saeculi XIII vixisse; id quod extra omnem positum esset dubitationem, si demonstrari posset, quae verba in codice Flor. ante opusculum de versu heroico scripta sunt, *ἐγράφη δὲ ἐκ π α λ α ι ο ῦ βιβλίου,* ea non ad illud solum, sed ad omnia quae sequuntur opuscula spectare. Atque statuit hoc quidem v. d. Boeckhius (ed. Pindar. II, 1 praef. p. XXXII sqq. et p. 17 adn. 5), sed quibus de causis statuerit ignoro; certe nulla re ut hoc existimemus cogimur.

De quarta parte multa dicere iure supersedeo, cum quae proferre possem multo melius iam dicta sint a Boeckhio, qui in praefatione ad Pindari scholia (ll. cc.) ostendit, quae in codice Flor. Trichae compendio adiecta sint scholia metrica Pindari, nulla alia esse nisi vulgaria, qualia ante Demetrii

Triclinii recensionem, fuerint, quaeque e Draconis Strat. commentario excerpta esse veri simile sit (l. c. p. XXXIV.) Accuratior praeterea post Montefalconium libri Par. 1881. descriptio Crameriana docuit, ne in hoc quidem codice post Trichae *ἐπιμερισμοὺς* eiusdem scriptoris scholia metrica Pindari exstare; nam quae Nr. 9 *περὶ τῶν Πινδαρικῶν μέτρων* indicantur, ea Tzetzes composuit, et quod Nr 10 *ἕτερον σύγγραμμα ἐν πεζῷ λόγῳ περὶ τῶν Πινδαρικῶν μέτρων ἀνεπίγραφον* vocatur, potest illud quidem congruere cum eo, de quo nos agimus, sed nullo prorsus vestigio esse Trichae comprobatur.

Quinta pars, *περὶ ποδῶν*, quoniam plane iisdem verbis legitur in scholio Saibantiano (ed. Heph. p. 164), dubium non est, quin ex eodem fonte, quo scholium fluxit in hunc codicem transscripta sit. Certe hoc a Tricha alienum est, diversas eiusdem rei explicationes, ut hic fit interposita *καὶ ἄλλως* vel simili voce enumerare, non iudicio adhibito inter se conciliare. Quae scriptoris inconsiderantia in eo quoque animadvertitur, quod, cum sententiam, quae in libro unde excerpsit, antecedit, omiserit, coniunctionem tamen retinuit. Scripsit enim p. 70 v. 14: *πους τοίνυν ἐστὶν σύνθεσις συλλαβῶν κτλ*, ubi, quo *τοίνυν* spectet tum demum intelligitur, cum *καὶ ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμᾶς πρότερον τοῦτο αὐτὸ γνῶναι τί ἐστι πούς* antecessisse compertum est.

Idem fere dicendum est de sexta parte *περὶ συνιζήσεως* cuius nec tota ratio cum Tricha concinit et tanta est scripturae depravatio, ut cur tandem hic ipse libellus, si quidem Trichae adscribatur, adeo vitiatus sit, nemo intelligat. Neque est Trichae; mira enim eius cum altero schol. maior. Heph. capite (p. 162 sq.) consensio satis ostendit, communem utriusque fontem esse librum illum, quem a magistro aliquo scholae oecumenicae Byzantinae scriptum esse probabile est[5]).

5) De metr. Graec. disp. alt. p. 16.

§ 3.

De Trichae scriptis quantum notum est deperditis.

Quae cum ita sint, restat prima et quodam modo tertia pars, quibus de Tricha iudicium facere possimus. Scripserat quidem, ut supra indicavimus, et alia opuscula metrica, quae quoniam aetatem non tulerunt, ita novimus, ut Tricha ipse paucis adumbraverit; unde simili in universum ratione, qua *σύνοψιν* et *ἐπιμερισμοὺς* ea comparata fuisse apparet. Sunt autem haec:

1) *περὶ συμμίκτων ἀντισπάστων*, de quibus Tricha p. 29, 25 *περὶ δε τοῦ* inquit *κατ' ἀρχὰς εἰς τὰ τέσσαρα τοῦ δισυλλάβου σχήματα τρεπομένου ἀντισπαστικοῦ καὶ ἐπὶ τέλει τὴν ἰαμβικὴν διποδίαν δεχομένου ἰδίᾳ διελάβομεν, καὶ λάμβανε ἐκεῖθεν παραδείγματα τῶν συμμίκτων ἀντισπαστικῶν, ἃ καὶ Ἀνακρεόντεια καὶ Γλυκώνεια, ὡς ἐκεῖ ἔφαμεν, λέγονται. ὧν ἡ ἀρχή ἐστι, θηρῶν αἰθέριον σκέπας.* Cf. 30, 29.

2) *περὶ τῶν καθαρῶν καὶ ἐπιμίκτων ἰωνικῶν*, de quibus p. 33, 10 haec habet: *περὶ μὲν οὖν τοῦ καθαροῦ (ἰωνικοῦ τοῦ ἀπὸ μείζονος) ἐνταῦθα ἐροῦμεν περὶ δέ γε τοῦ ἐπιμίκτου ἰδίᾳ διελάβομεν, ἔνθα καὶ περὶ τοῦ συμμίκτου ἰωνικοῦ τοῦ ἀπ' ἐλάσσονος· ἔστι δὲ ἡ ἀρχὴ τῶν τοιούτων ἐπῶν αὕτη· ἐν ἀφανέσσι βελέμνοις" ἐκεῖ γὰρ μετὰ η' στίχους ἰωνικοὺς ἀπ' ἐλάσσονος δύο κεῖνται ἰωνικοὶ ἀπὸ μείζονος σύμμικτοι.* Cf. 34, 20, et 36, 16 ubi haec leguntur *περὶ μὲν οὖν τῶν καθαρῶν τε καὶ ἐπιμίκτων ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικῶν ὁμοῦ καὶ ἐν ἑτέρῳ ποιηματίῳ προειλήφαμεν· οὗ ἡ ἀρχὴ, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἀνωτέρω εἴπομεν, ἐν ἀφανέσσι βελέμνοις κραδίην μέσην γυναικός· ἐκεῖ γὰρ ἐναλλὰξ ὁ μὲν εἷς καθαρὸς ὁ δ' ἕτερος ἐπίμικτος* cet.

Quod vero ultima totius libri verba (42 v. 1 *καὶ περὶ μὲν τῶν ἁπλῶν καὶ ἀμίκτων μέτρων τοσαῦτα*) indicare videntur, Tricham non acquievisse in novem simplicibus

metris illustrandis, id comprobatur paginae 38 v. 6 hac sententia: *τί μέντοι τὸ κύριόν ἐστιν ἀνακλώμενον, ἐν τοῖς κατὰ ἀντιπάθειαν μεμιγμένοις ἔπεσιν ἐροῦμεν.* Proinde non dubito statuere, Tricham scripsisse

3) *περὶ τῶν κατ' ἀντιπάθειαν μίξεων* caput, pariter illud atque in Hephaest. enchiridio est, paeonici metri explicationem subsequens. Num idem ad Hephaestionis similitudinem de versibus asynartetis, polyschematistis et de poematis egerit, non liquet, neque egisse eum probabile est; sed si egit, haec omnia una cum tribus scriptis modo nominatis ut remotiorem et prope inutilem doctrinam postera aetas in exscribendis libris missa fecit.

Servata vero sequentibus, ubi quanti Tricha faciendus sit quaeritur, facile apparebit, pretium eius, cuius pro tempore propria auctoritas nulla est, prorsus ex eo pendere, quibus fontibus et quo modo usus sit; quae deinceps tractabimus.

§ 4.

De Trichae fontibus.

Ac de priore quaestione si ipsum ut par est audiamus, multi quidem sunt loci, ubi ad alios metricos provocat, sed cum plerique latius pateant, quam ut certi quid inde colligi possit (veluti in hunc modum comparati: *ὥς ἔνιοί φασι* 4, 8. 30, 21. *ὥς τινές φασι* 39, 1; *ὡς οἱ πρὸ ἡμῶν μετρικοί φασι* 27, 4. 40, 22, et omnino *παλαιῶν* commemoratio 5, 4. 37, 2. 39, 4, 25. 41, 27), restat unus praecipue, quo accuratiora comperimus p. 26, 9: *ἡμεῖς δὲ τοῖς παλαιοῖς ἑπόμενοι μετρικοῖς, Ἡρωδιανῷ καὶ Ἡφαιστίωνι καὶ τοῖς ἄλλοις* e. q. s. Herodianum se igitur et Hephaestionem sequi Tricha contendit. Neque Hephaestionem dubium est quin ut summum rerum metricarum iudicem omnibus anteposuerit, cuius et nomen praeterea sexies (7, 24. 18, 8. 19, 14. 30, 13. 40, 9. 40, 19), memora-

verit (bis eum αὐτὸν τὸν Ἡφαιστίωνα appellans 30, 13; 40, 9), et vestigia per totum opus modo propius, modo longinquius presserit (sic eandem quam Hephaestio metrorum seriem statuit, ab iambico et trochaico exorsus metris, cum reliqui omnes dactylicum primo loco posuerint [1]); sic inopinata in constituendo veterum comicorum ordine certitudo p. 24, 20 tota nititur in Hephaestionis p. 48 sq. de hac re disceptatione; sic p. 25 in anapaestis logaoedicis explanandis Hephaestionis usum additamentum τοῦ Θηβαίου ποιητοῦ (v. 19) prodit, et singulis ferme paginis eiusdem rei argumenta ministrantur); sed hoc videtur in controversiam cadere posse, utrum hunc tantum, quo nos utimur Hephaestionis librum ob oculos habuerit, an alium pleniorem nisi pragmatiam alteram [2]), certe enchiridium maius, tribus illud libris terminatum. Quoniam enim quae tribus locis (19, 14 ὡς καὶ Ἡφαιστίων φησί. 40, 9 καὶ ὡς ὁ Ἡφαιστίων αὐτός φησι. 40, 19 ὡς Ἡφαιστίων λέγει). Tricha Hephaestionem dicere scribit, hic re vera dixit (p. 46 sq. p. 77. p. 81), mirum est, licet exigua res sit, quod quae Tricha pag. 7, 24 eum loquentem facit (κατὰ γὰρ διποδίαν ὡς ἔφαμεν τὸ ἰαμβικὸν βαίνεται μέτρον, ὡς Ἡφαιστίων φησίν) in enchiridio, ut nunc est, non reperiuntur; atque ex verbis quae p. 30 v. 9 sqq. leguntur (μονόμετρον μὲν οὖν ἀκατάληκτον οὐ δύναται ὑποστῆναι κατά γ' ἐμὲ ἐν τῷ παρόντι μέτρῳ . . . . οὐδ' αὐτὸς ὁ Ἡφαιστίων μνημονεύει ὅλως τοιούτου τινός) cum opinari quis possit, Tricham nihil docere, nisi quod ex libris Hephaestioneis petiverit, multa tradit, quae apud Hephaestionem frustra quaeruntur. Verumtamen haec argumenta vix sufficiant ad rem constituendam, cuius alibi nullum exstat adminiculum. Altero enim loco (p. 30)

---

1) Cf. Rossbach Griech. Rhythm. p. 15 adn. 8.

2) De Hephaest. Alex. libris disp. p. 8 sq.

Tricha facile nihil aliud potest indicare voluisse, nisi Hephaestionem opinioni suae non refragari, quippe qui ne ipse quidem rei quam Tricha esse negct mentionem ullam fecerit; et priorem sententiam (p. 7) exornatam eam Hephaestionis nomine in libris illis invenisse eum veri simile est, quos praeter Hephaest. enchiridium ad opus suum conscribendum adhibuit. Neque aliter de Herodiani commemoratione statuendum esse, cuius librum non credibile sit Tricham inspexisse, harum rerum iudex peritissimus nuper censuit [3].

Jam vero illi libri, quibus Tricham praeter Hephaestionem usum esse diximus, quales fuerint examinemus necesse est. Quos qui ob eius verba p. 26. *ἡμεῖς τοῖς παλαιοῖς ἑπόμενοι μετρικοῖς Ἡρ. καὶ Ἡφ. καὶ τοῖς ἄλλοις* ab Heliodoro fortasse vel Apollonio Dyscolo vel Dracone Stratonicensi vel alio quo praeclaro vetere grammatico profectos arbitretur, vehementer fallatur; talium enim virorum si libros inspexisset neque nomina scriptor reticuisset, et multo praestantiora memoriae prodidisset. Sed nullis aliis fere auxiliis Tricham instructum fuisse credimus, quam scholiis ad Hephaestionis enchiridium scriptis, plenioribus illis quam quae nunc habentur et e veterum doctrina haustis, tametsi crebra Byzantinorum hominum additamenta non deficiebant. Hinc veterum nominatio, hinc qnae ab illa videntur secernendae esse voces eiusmodi: *ὡς ἔνιοι* vel *τινές φασι, ὡς οἱ πρὸ ἡμῶν μετρικοί φασι*, hinc denique ipsa *νεωτέρων* commemoratio (11, 7; 37, 10) fluxit. Ut autem quae inter Tricham et scholia intercedat ratio intelligatur, videtur in rem esse, horum scholiorum diversas partes examinare et cum Trichae compendio comparare; id quod paucis absolvi potest, ex quo quam identidem nominavi, Aug. Rossb. de metricis graec. disputatio alt. huic quoque rei lucem attulit. Scholia enim

---

3) Rossb. De metr. gr. disp. alt. p. 5.

Hephaestionea primum recte in maiora et minora distribuuntur; a maiorum rursus reliquis capitibus quatuor segregantur et inter se consociantur, quorum communis omnium haec est conformatio, ut metri alicuius incisa et membra a brevissimo ad longissimum omnia certo ordine enumerentur et exemplis illustrentur. Atqui sane et haec exempla ex Hephaest. enchiridio desumpta sunt, et reliqua oratio ad Hephaestionem proxime accedit; sed quoniam ne unum quidem de hoc scriptore verbum fit, neque ullum usquam eius interpretandi consilium animadvertitur, verum omnia quae ad doctrinam spectare et explicatione carere videantur, omissa sunt; quatuor haec capita enchiridium metricum a magistro quodam Byzantino in usum scholarum ex Hephaestioneo libro, cuius in locum succederet excerptum, quam commentarii in hunc librum scripti fragmentum vocare maluerim. Quod enchiridium num tetrasyllaba quoque metra continuerit, non liquet (certe subsequens quodque caput antecedente brevius est); sed sive continuit sive non continuit, hoc apparet, Tricham id ob oculos habuisse eique metrorum dispositionem accommodasse. Orditur enim et ipse in unoquoque metro a minima metri parte, cui singulas syllabas addens, nullo inciso praetermisso ad maximam progreditur, cum Hephaestio sola ἐπίσημα metra tractet et ab usitatissimo et notissimo quoque initium faciens, prout incepit catalectica vel acatalecta ad exitum perducat, tum ad membra aliter terminata se convertat. Neque aliis si opus esset documentis destituti sumus. Nam Tricha ubi a lege sibi scripta ut exempla ex synopsis versibus quaereret recessit, eodem statim quo scholia mai. usus est exemplo (p. 7. v. 10), atque in enumerandis pedibus iambico metro concessis p. 5. v. 7 χορεῖον ut est in scholiis posuit, cum apud Hephaest. τρίβραχυν legatur. Sed progrediamur, ne rem manifestam argumentis cumulemus.

Usus enim est Tricha praeterea capite περὶ ποδῶν, [4]) nunc scholiorum mai. tertio, sed exemplari multo pleniore et meliore. Nam cum de pedum metricorum appellatione in universum eadem praecipiat quae schol. mai. et fragmentum Ambrosianum, [5]) habet tamen etiam, quae neque in scholiis, ne Saibantianis quidem, veteribus illis et egregiis, neque in fragm. Ambr. servata sunt. Cuius rei exemplo sit trochaei explicatio p. 10 v. 10: ὠνόμασται δὲ οὕτω τροχαῖος . . . . ὅτι ταχεῖαν καὶ οἷον διατρέχουσαν ἐν τῇ κατασκευῇ τὴν ῥυθμοποιίαν ἔχει, διὰ τὸ ἐπιτρέχειν οἱονεὶ τῇ μακρᾷ ἀεὶ τὴν βραχεῖαν. ὁ αὐτὸς δ'οὗτος καὶ χορεῖος καλεῖται κτλ. ubi scholia m. p. 170 haec: (τροχαῖος) ἐκ μεταφορᾶς τῶν τρεχόντων, οἵτινες ἐν τῷ προϊέναι ἀπὸ μακροτέρας ἀρχόμενοι ὁδοῦ κατὰ μικρὸν βραχύνουσιν αὐτὴν, pro quibus ineptiis codex Saib. praebet (τροχαῖος), ὅτι χαλον ἔχει τὸν ῥυθμὸν, quod si in τροχαλὸν emendes, fragmenti Ambr. lectio (p. 5) nascitur. Alia solus codex Saib. sed corrupta continet; veluti quae de dactylo leguntur p. 5 v. 24 ὃν (τὸν δάκτ.) οἱ μὲν ἀπὸ τῆς ἐν ταῖς χορδαῖς γινομένης τῶν δακτύλων κινήσεως οὕτως ὀνομασθῆναί φασιν, ea cd. Saib. p. 171 repetens pro ἐν ταῖς χορδαῖς — ἐν ταῖς χορείαις exhibet. Neque quemquam fugere potest, fabellam de Hipponacte et muliercula lanas lavante, quam et scholia mai. et Saibant. (p. 169) et fragm. Ambr. (p. 5) perperam ita tradunt, ut cur iambus pes vocatus sit explicetur, a Tricha multo rectius ad metrum iambicum claudum, quod inde nomen duxerit, referri.

Jam vero ad scholia minora si transeamus, Longini Hephaestionis Heliodori Philoxeni aliorum praeclaras reli-

---

4) libri quinquepartiti parte; cf. l c. p. 16.

5) ed. Keil: Analecta Grammatica, in programmate Paedagogii Halensis. 1848.

quias a Byzantinorum sapientia passim adspersa distinguamus necesse est. [6]) Utrumque genus Tricha, et hic integriore adiutus exemplo, in usum suum convertit. Quorum ex priore adnotationes historicas, quibus Hephaestionis verba amplificare solet, quaesivit; neque partem earum (ex. gr. de Cleomacho pugili 34, 5, anaclomenorum 38, 4 et Galliamborum 38, 15 uberiorem declarationem) nisi ex Trichae libello cognoscere licebat, donec novissima Heph. editio codicem Saibantianum in medium protulit. Alterius autem generis futilissimas quidem notulas illas, quibus quae nemo non intelligit loquaciter exponuntur, quae declaratione egent silentio praetermittuntur, Tricha merito plerumque repudiavit; sed multus est et ipse in collustrando metrorum connexu, quem metrici Graeci *ἐπιπλοκὴν* vocant. Cuius cum solum hoc sit consilium, ut apponendis et resecandis syllabis quomodo aliud ex alio metrum oriatur demonstret, ad metrorum veram indolem et vim ethicam perspiciendam nihil fere valet, nihilo tamen minus propter rationem nescio quam mathematicam philosophiae quandam speciem et affecat et assequitur et Tricham vehementer commovisse videtur, quippe qui licet *ἐπιπλοκῆς* vocabulum prorsus evitet, multa eiusmodi in capitum initiis disserat, complura non sane inutilia ad metrorum comparationem pertinentia de suo adiiciens (p. 10 s. f. sq. p. 32 m.).

Insunt praeterea nonnullae res in Trichae libro, quae nunc quidem neque apud Hephaestionem neque in scholiis exstant, sed olim exstitisse eas probabile est (Theocriti versus Hipponactei 9, 5. Hesiodi versus 16, 27. Antispasti et Dochmii nominis explanatio 29, 9. 30, 19. Tetrametri ion. acat. 38, 24 et dimetri Anacreontei commemoratio 37, 10 [7])); alia etiamsi vix ad Hephaestionem aut

6) De metr. gr. disp. alt. p. 3 sqq.

7) nisi Mehlhornium (Prol. Anacr. p. 14) secuti in Heph. p. 76 v. 1 inserimus *τὸ δὲ δίμετρον τὸ ἀκατάληκτον* et versum seq. in

scholia referenda sint, tamen non sine veterum auctoritate statuuntur (quo pertinet metri anapaestici duplex mensura; cf. Mar. Victor. p. 2520); unum autem manifestum est Tricham, quamvis non inepte, finxisse: anapaestos Aeolicos, quos p. 21,14 et p. 24 s. f. sq. tractat. Neque id mirum. Tricham enim ut omnino supplendi quadam cupiditate ductum supra cognovimus, ut quae metra inter se opposita esse significaverat eorum in unaquaque re diversitatem demonstrare religiose studuit (cf. p. 10 sq. p. 32), sic, quoniam omnium eiusdem epiploces metrorum eadem genera esse animadverterat, ne solum anapaesticum a dactylico differret, dactylis Aeolicis anapaestos Aeolicos respondere voluit. Illud quidem nequaquam dubium est, quin veteres poetae saepius anapaestis iambum praemiserint; qua de re Hephaestio p. 51 sq. *πρῶτος δὲ* inquit *Ἀρχίλοχος ἐχρήσατο τῷ μεγέθει τούτῳ* (sc. *παροιμιακῷ*) *ἐν τοῖς τετραμέτροις προτάξας αὐτὸ τοῦ ἰθυφαλλικοῦ. τὸ γὰρ Ἐρασμονίδη Χαρίλαε ἑφθημιμερές ἐστιν ἀναπαιστικόν. Ἐχρήσατο δὲ τῷ πρώτῳ ποδὶ καὶ ἰάμβῳ, ὡς καὶ ἐκ τοῦ παραδείγματός ἐστι δῆλον, καὶ σπονδείῳ Δήμητρί τε χεῖρας ἀνέξων. ἀναπαίστῳ δὲ τῷ πρώτῳ ἐπὶ δύο μόνον στίχων κεχρῆσθαι δοκεῖ ἐρέω πολὺ φίλταθ᾽ ἑταίρων καὶ πάλιν φιλέειν στύγνον περ ἐόντα. ταῦτα δὲ ἀμφότερα κατὰ συνεκφώνησιν ἴαμβον ἔχει τὸν πρῶτον πόδα*; et scholia addunt p. 52 *καλῶς πάνυ ὁ Λογγῖνος ἐπέστησε τὴν αἰτίαν δι᾽ ἣν δέχεται τὸ μέτρον τοῦτο ἴαμβον. καί φησιν, ὅτι ἐν τῷ δακτυλικῷ μέτρῳ* (fortasse *ἑξαμέτρῳ*) *μετὰ τὸν τρίτον* (sic enim manifestum est legendum esse, non *πρῶτον*) *τροχαῖον ἴαμβος εὑρίσκεται καὶ οἱ ἄλλοι ἀνάπαιστοι· οἷον τὸν*

---

duos dispescimus *παρὰ δ᾽ ἦῦτε Πυθόμανδρον* || *κατέδυν ἔρωτα φεύγων*. Idem suadet scholior. mai. caput VII (p. 185), ab insulso quidem homine Byzantino conscriptum (de m. gr. disp. alt. p. 15), sed ubi veterum ratio habetur, Hephaestionem procul dubio sectans.

δ᾽ ἀπαμειβόμενος προς — τροχαῖος καὶ ἔφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς λοιπὸς ἴαμβος καὶ ἀνάπαιστοι. Similia praebent scholia maiora p. 193 et Tractatus Harleianus p. 327; sed ea ipsa de causa, quod neque Hephaestio nec scholiastae, cum hos anapaestos satis diffuse tractent, aeolicos eos vocatos esse ullo verbo indicant, effici videtur, Tricham nomen illud sponte a dactylico metro in anapaesticum transtulisse. Simili modo p. 19 v. 5 pentametrum dactylicum logaoedicum tetrametris voce ἦ δ᾽ addita subiunxit, quod cur fecerit eadem pag. v. 24 sqq. causam satis lepidam affert.

§ 5.
De Trichae scribendi ratione.

His igitur fontibus si quomodo Tricha usus sit, quid eorum ope effecerit, qualis denique ipse iudicandus sit accuratius quaeritur, concedendum quidem est, praeter id quod modo vidimus, ter eum quaterve illos perperam intellexisse — nam quae Hephaestio p. 33 et schol. mai. p. 181 de senarii claudi quinto pede disserunt, ad sextum refert p. 9. 9 sqq.; quae p. 30, 25 sqq. Tricha dicit ταὐτὸ τοῦτο καὶ Φερεκράτειον λέγεται, ὡς κατακόρως αὐτῷ χρησαμένου τοῦ Φερεκράτους· πολλῷ δὲ αὐτῷ κέχρηται καὶ ἡ ποιήτρια Κορίννη, ea, quoniam Hephaestio (p. 61) de Corinna nihil habet, facile divinatur inde exorta esse, quod ad Hephaestionis verba τὸ καλούμενον Φερεκράτειον ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν scholia adnotaverant ἐκ Κοριαννοῦς, i. e. e Pherecratis comoedia ita inscripta [1]). Eadem ferme res est p. 37, 18, ubi de trimetro ion. a minore catal. locutus Tricha pergit: καὶ τούτῳ δὲ κατακόρως κέχρηται Διονύσιος ὁ ποιητής, cum Hephaestio p. 75 de tali poeta minime cogitans metri commemorati exemplum

---

1) Meineke, Frgmm. comic. Graec. II. 280.

exhibeat: *Διονύσου σαῦλαι Βασσαρίδες.* Cf. praeterea Trich. p. 41, 17—19 cum Heph. p. 81 sq. — ab his autem si discesseris non poteris non confiteri, satis accurate eum auctorum suorum non singula quidem verba (et hoc in arte critica exercenda recordari par erit) sed praecipuas sententias secutum esse. In eo enim ab omnibus fere metricis Byzantinis egregie differt, quod non, quae memoria digna putaret ne verbo quidem mutato e libris qui praesto erant hinc illinc congessit et de contextu adeo securus coacervavit, ut quasi variis consutus pannis cento appareret, quem ad modum Eliae libellum comparatum videmus; sed fontibus suis diligenter lectitatis penitusque cognitis et quasi concoctis, memoriter, suis ipsius plerumque verbis quae disputaturus erat litteris mandavit. Quo facto aliquod totum exstitit cuius singulae partes et per se sunt elaboratae et inter se connexae et quae a certo initio ad certum finem certo ordine decurrunt. Sed hac ipsa de causa, quod, prout res postulabat, dissociata locis, per scholia et Heph. enchiridium dispersa ita coniunxit, ut interdum in eodem enuntiato omnium horum librorum vestigia reperias, fieri vix potest, quod facere constitueram, ut singulis capitibus et paginis locorum Hephaest. vel scholior. adnotatio subiiciatur. Jam vero Tricha, quoniam materiem suam animo comprehenderat, non solum vigorem quendam et proprietatem operi suo conciliavit, verum etiam in digerendis concinnandisque rebus fontibus non obnoxius eam viam ingressus est, qua facillime propositum suum, metricae artis compendium ad usum scholarum idoneum scribendi assequi posse sibi videbatur. Quam ob rem, ne discipulos parum provectos (de his enim ut cogitemus materia ipsa suadet) rerum mole opprimeret, noluit, ut est apud Heph. et schol., antequam ad singula metra accederet, singulis capitibus de syllabis, de pedibus, de metrorum fine cet. agere, sed haec omnia per totum librum ita distribuit, ut quamque rem ubi

primum commemoraret, ibi exponeret. Est vero haec aperte ratio usu atque exercitatione comparata, ex qua merito concludimus T r i c h a m, quem presbyterum fuisse supra cognovimus, eundem m a g i s t r i m u n e r e f u n c t u m e s s e. Ex eo autem docendi usu cura illa processit, qua etiam notissimas et facillimas res initio praecipue operis identidem memoriae inculcat, ex eo diligentia qua lectores ad alibi exposita relegat, ex eo nimia paene et loquax orationis perspicuitas, qua ne quid obscurum maneat, cavet; quamquam haec omnino Trichae natura fuit, ut sobrio iudicio et mediocri quadam philosophandi facultate et amore praeditus omnia ubique explanare studeret, omnium rerum, quae videri poterant sine causa a veteribus metricis statutae esse, probabilem rationem afferret, quae denique ipse instituerat quam apta essent et ex rei natura profecta demonstraret. Probant hoc capitum, et quidem primi statim, initia et quae de cuiusque metri terminationibus et pedibus concessis disputata sunt. Nec tamen ingeniosior aut subtilior fuit quam tota illa aetas; nam quae de metrorum indole disseruit, pleraque futilia sunt et extranea inque solis syllabis traiiciendis versantur; quae vera essent metrorum discrimina, quo quodque modo animum afficeret, commoveret, sedaret, ne suspicatus quidem est; nec si scivisset, quanta sapientia et venustate veteres poetae metri cuiusque conformationem ad ea adaptassent quae canerent, recentiorum morem, nullo pacto alios pedes metro admiscendi (6, 20; 11, 6), prorsus defendisset, ut fecit p. 11 v. 14 his verbis: *καθόλου γὰρ τὸ ἐν ἑκάστῳ μέτρῳ τοῖς ὁμωνύμοις πλεονάζειν ποσὶν ἐπαινετόν· οἷον ἐν ἰαμβικῷ μέτρῳ ἰάμβοις· ἐν δὲ τῷ τροχαϊκῷ τροχαίοις· καὶ ἐν δακτυλικῷ δακτύλοις. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως. τὸ δὲ καὶ διόλου τοῖς ὁμωνύμοις μόνοις χρῆσθαι πολλῷ ἀξιεπαινετώτερον· καθαρὸν γὰρ τότε τὸ μέτρον λέγεται.* Sed hac perversa eum doctrina sine dubio praeceptores, ipsi ita docti, imbu-

erant, quam e veterum poetarum lectione corrigere nec temporis illius ingenium valuit et Tricha vereor ne parum eos cognitos habuerit; omnes enim locos, quibus veterum mentio fit, e scholiis fluxisse verisimile est, quorum vel amplissimus et qui maxime videatur sui iuris esse (p. **11** v. **26** *κέχρηται γὰρ αὐτῷ* (tetram. troch. cat.) *καὶ Εὐριπίδης ἔν τε πολλοῖς τῶν αὐτοῦ δραμάτων καὶ ἔτι καθαρώτερον ἐν Ὀρέστῃ, ἐπιτηδεύει τοῦτο πολλαχοῦ καὶ Σοφοκλῆς, καὶ Ἀριστοφάνης, καὶ διάφοροι ἕτεροι*) decurtatus sit et a veritate aliquantulum recedat. Unum Hermogenem vix ambigi potest quin legerit, cuius cum scholia mentionem nullam faciant bis recte sententias commemorarit (p. 19 v. 9 Spengel Rhet. Graec. II, 279, 21 (III, 208 W.) p. 35, 2. cf. Sp. ibid. p. 295 (III, 229 sq. W.)). Quare laudandus eo nomine, quod, quamvis recentiorum commenta novisset neque improbaret (cf. p. 37, 10), tamen quantum potuit veterum rationem secutus est, ideoque libellum pro tempore satis utilem confecit. Cuius rei si sibi conscius ab ostentatione quadam nonnunquam proxime abest (21, 31. 41, 25. 7, 6 etc.), eo magis ignoscas, quod revera aequales doctrina et prudentia superasse videtur, quem *σοφωτάτου* cognomine dignum habuerint. Nos sane, quibus multa quae tum ut acute et sagaciter disceptata praedicabantur, perexigua, ne dicam inepta comparent, nisi Trichae nimium tribuere volumus, Furiae verbis adstipulabimur, non multum eum lucis arti metricae accendere; sed cur ne sic quidem prorsus negligi debeat supra demonstratum est.

Reliquum est, ut de Trichae dicendi proprietate quaeramus. Sed quae potest esse Graeci sermonis proprietas illo tempore atque tali in re, ubi artificiosa elegansque verborum concinnitas et dudum evanuerat et, si suppetiisset, de industria evitata esset? Nam usitatissimis vocabulis cum brevia enuntiata struerent, nihil aliud agentes, quam ut a

quovis discipulo (eiusmodi enim sola opera aetatem tulerunt) intelligerentur, veteriores iam de re metrica scriptores dicendi genere usi sunt adeo tenui atque exili, ut posteriores ab eo multum discedere vix possent. Quo si adiiciamus, alterum alteri fontem atque auctorem fuisse, non mirabimur, etiam in tanto temporis intervallo Trichae dicendi rationem cum Hephaestione paene congruere, nisi quod nonnulla nimirum insunt, quae linguam senescentem et quasi dilabentem probent. Pertinet huc, ut minus gravia mittam, quod tantum non semper post subiectum generis neutri (quemadmodum aiunt grammatici) plurali numero positum sequitur praedicatum et ipsum in plurali collocatum, et quod modorum verbi propria vis ac potestas ita debilitatur et infringitur, ut indicativus pro coniunctivo aut optativo usurpetur sine ulla sententiae differentia; id quod praecipue intelligitur in enuntiatis conditionalibus et finalibus, ubi *ἐὰν*, *ὅταν*, *ἵνα* coniunctiones saepe cum indicativo copulatae reperiuntur (cf. *ἐὰν* 21, 21. 22, 23. 29, 5. *ὅταν* 31, 15. 37, 5, 7. *ἵνα* 24, 18. 43, 17.)

Sed haec hactenus. Transeamus iam ad alteram commentationis nostrae partem, criticam dico, cui, quo brevius sequentia tractari possint, pauca praefari iuvat.

§ 6.

Emendatio critica.

Vitiorum enim quae in codice Flor. Trichae insunt duo genera facile discernuntur, alterum quod singulorum est locorum, alterum, quod per totum librum pertinet. Ac de priore quidem uno quoque loco videndum erit, alterius praecipuas species afferemus.

Mira primum invenitur accentus ponendi negligentia cum in aliis verbis tum maxime in vocibus encliticis, quae nonnunquam accentum abiiciunt, plerumque contra grammaticae praecepta retinent, nulla, quantum observare potui, lege

constituta. Nec minus vulgaris est interpungendi perversitas qua, tametsi in universum levioris momenti est, interdum ita obscuratur sententia, ut corrigere velis, quae rectissime se habent.

Aequius porro fertur, iota subscriptum et falso omitti et falso poni, et de litteris iteratis (λλ, μμ) alteram tantum scribi, quam quod in vocibus aut omnino aut ex parte similibus una alterave desideratur, et quod librarius a simili ad similem oculis aberraus saepius unam vel etiam plures lineas transsiluit. Ne hoc quidem omni vacat offensione, quod ubi vocabuli alicuius syllabae per se quaeque Graecam vocem formarent, scriba saepe eas apostropho, accentu, spiritu instructas seorsum posuit; nec deest contraria res, ut secernenda coniunxerit; sed nescio quo pacto facilius toleratur. Alia deinde menda in temporum illorum pronuntiatione sunt posita atque idem fere valent, quam quae nos orthographica dicere assuevimus. Sic η et ι, οι et ι, ει et ι, οι et ει, η et αι, η et υ saepissime confunduntur et inter se commutantur, item υ et β, φ et β. Accedunt denique illa morientis linguae propria, de quibus paullo supra diximus, quae quidem ad strictam integerrimae Graecitatis normam pro vitiis habenda sunt, non tamen corrigenda propterea, quod ab ipsis scriptoribus originem duxerunt. Scriptores dico, quod eas quoque libri Trichei partes, quas non a Tricha profectas esse contendi, correxi. Pariter enim et ipsae rei metricae illustrandae inserviunt; nec tertia praecipue pars a prima commode secernatur. Nolui tamen quartae, quae est de versibus Pindaricis, emendationes adscribere, quia paucis iisque levissimis rebus exceptis Boeckhii correctiones repetendae erant, qui in editione sua Pindari (II, 1) rem profligavit. His praemissis ad ipsas mutationes enumerandas breviterque approbandas accedimus, commoditatis gratia in carmine versuum, in soluta oratione paginarum et linearum ordinem secuturi. Atque in carminis

V. 2. scribendum est *κόρῃ*, quod coniungendum est cum *ἐντόκῳ*.

V. 6. scr. *καλλίπαι*, est enim vocativus; cf. praeterea p. 12, 5, 8. Tricha enim quoniam ex hoc hymno exempla quaerit, ut supra memoratum est, saepius quid in aliquo versu rei sit ex sequenti commentatione intelligitur.

V. 8. *τληπόνων* possit dubium videri, an e *τλημόνων* voce depravatum sit; sed quo iure *τληπαθής* pro *τλησιπαθής* nonnunquam reperitur, eodem *τλήπονος* pro *τλησίπονος* adiectivum retinendum censeo.

V. 9. *ἀμφιβάσασ'*. Verbi huius significatio, quae est circumire, circumvenire, tueri, cum sententiae non conveniat, legendum puto *ἀμβιβάσασ'* pro *ἀναβιβάσασ'*, sc. *φυλάν*. Quae forma quod est ionica et epica, versus vero 8 et 10 dorica dialecto sunt compositi, nihil impedit; statim enim in fine versus 10 forma ionica *βασιλῆος* occurit. Defenditur praeterea haec scriptura eo, quod p. 13. v. 15 repetitur.

V. 11. In *γεννετῆρα* voce alterum *ν* deleatur necesse est.

Versus 12 in fine virgulam ponendam puto, quod v. 13 accusativus *δανεισάμενον* intelligi nequit nisi refertur ad v. 11 *γενετῆρα*.

V. 15. Quid sit *ὁ δ' ἔην μείναντα θεὸν μέγαν ἄμβροτον ἐσθλὸν* non intelligitur, neque quae p. 18 leguntur *ὅδ' ἐὴν μείναντα κτλ.* aptam praebent explicationem. Quis enim est iste *ὅδε*, aut ubi est eius praedicatum? Quapropter equidem suspicor scribendum esse *ὃ δ' ἔην μείναντα θεὸν κτλ.* accusativum vero *μείναντα* referendum ad v. 11 *γενετῆρα*, ut sententia haec sit: „Qui mansit, quod erat, deus etc." Post *ἐσθλὸν* deinde comma ponendum.

V. 17 *φῦσα βροτεία*, quae et apta explicatione carent et in metrum peccant, rectius sic leguntur *φύσει βροτείᾳ*,

(*θεότητα κεράσαντα* [sc. *τὸν γενετῆρα*] *φύσει βροτείᾳ*). Codex Laur. 125 ex parte verum servavit.

V. 18. *βροτόσωμος* est quidem vox Graeca, sed quae semel tantum reperitur (cf. Steph. Thes.) et hic propter metrum locum habere nequit, quod *βροτώσωμον* postulat; haec vero forma ne Graeca quidem est. Et metro autem et sententiae satisfacit coniectura: *βρότοισιν ὁμόν* ⏑ — ⏑ ⏑ —, quae paginis 20, 16, 19, et 47, 23 nisi affirmatur, certe non refutatur.

V. 20. pro *ἰθύνουσ᾽ ὁρμὰν* scribendum arbitror *ἰθύνοις ὁρμὰν*, optativum pro imperativo, qui hoc loco requiritur propter versum seq. 21, ubi *λῷον* voci iota subscriptum est addendum et in fine colon pro puncto ponendum.

V. 23. *κατ᾽ ἄντην* in *κατάντην* muto, accusativum adiectivi *κατάντης*. Neque enim unquam *ἄντην* adv. cum praepositione coniunctum inveni, et *κατάντην* adv. quod legitur apud Themistium, significationem habet ab hoc loco alienam. Tuentur praeterea hanc lectionem pp. 25 et 48.

V. 24. pro *σοι ὁδ᾽ ἄνευ*, quod nihil est, alterius codicis scriptura exigua mutatione recipienda sit: *σεῖο δ᾽ ἄνευ*, cf. p. 27, 25, 27. Nescio an in fine versus pro *ζωὰ μὲν* intelligendum sit *σῶμά μεν*.

Vs. 25 sic credo conformandus est: *ἠρεμόωντ᾽ ἀτρεμέως βιοτᾷ*. Cf. p. 28, 9.

V. 26. In unam liquet contrahendas esse voces *καθ᾽ ὑπνεῦτα* — *καθυπνεῦντά με*; cf. p. 27, 23. Contra Versum 27 in duo versus dissecandum esse docet p. 26 extr. *Προςπώλω* vocabulum, in lexicis non repertum, ne numeri quidem patiuntur, qui brevem syllabam paenultimam poscunt: — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ —. Quid autem sit *Ἠπιόωσα προσπόλω* sive etiam *πρόσπολον* cum nemo facile dicat, suspicor genuinam lectionem hanc esse: *Ἠπιόωσα προσβολὴν* sive *προσβολὰς*, et deinde *πόντου*, impetum

maris mitigans (uti nunc salutatur: Stella maris); εὐδιάω enim verbum nusquam, quod sciam, transitive usurpatur.

V. 28. scrib. εἰν ἀβάτῳ, cf. p. 31, 20. In fine deinde virgula ponenda.

V. 29. παρ' ὁμάρτα corrigendum censeo in παρομάρτει; cuius verbi si medium in usu fuisset, scriberem, ut est in codice Laur. alt. παρομαρτοῦ.

V. 30 scribendum est μὲν ἀφεγγέσσι sine virgula et iterata σ littera.

V. 31. Alterius codicis scripturam ὁρμὰν praestare conspicuum est.

V. 34. Scr. ποκὰ pro πόκα, tum propter metrum ποτνία in πότνα corripiendum; deinde scribendum ἐπ' ἄμμιν.

V. 35. νὴ particulae significatio hic non apta videtur, neque omnino haec vox sine accusativo reperitur; videtur itaque emendanda esse, non quidem in νὺ, ut est p. 37, longa enim syllaba opus est, sed in νῦν.

V. 36. In διάγοισ' verbo apostrophus delenda est, nec fortasse inutile sit μὲ inserere, obiectum verborum ἀπάγοις, διάγοις etc.: ἀπάγοις μ' ἀβλαβέα.

V. 37. Hoc loco certissima coniectura in verbis μυρίοις γ' ἂν ἀγαθοῖς se praebet. Participium enim antecedens θαλέθοισαν postulat nominis substantivi generis feminini accusativum; metrum, quod est ionicum a minore purum, longam syllabam flagitat ⏑ ⏑ — —, ἂν vero brevis est. Accedit quod intelligi non potest, nec quid ἂν particula, nec quid γὲ aut κὲ hic valeant. Quae difficultates omnes tolluntur, si γ' ἂν contrahitur in γᾶν.

Versum 38 in duas partes resolvere iubemur pagina 37, 7. Quo in versu quid pro ὅραον τί μοι ποτῆτος, quod declarari nequit, intelligendum sit, ratiocinando facile eruitur sequenti versu adiuvante. „Quae aquam das de rupe sterili — mibi“ — quid aliud suppleamus nisi de-

sideranti? Scribendum est igitur pro ὅραον τί μοι — ἐράοντί μοι, unde pendet genetivus ποτῆτος. Fuisse hanc genuinam lectionem alter codex testatur.

V. 40. scr. ἀπερείσιον pro ἀπερείσσιον.

V. 42. βάλοις legatur oportet; alioquin verbum quod dicunt finitum, deest.

V. 43 ἄσοιμι forma aperte falsa corrigenda est in ἄσαιμι, συνθεὶς vero in σωθεὶς, quo facto genetivus βρόχων ἀντιπάλων explicari potest. Cf. insuper pp. 41 et 52.

Progredimur iam ad orationem solutam.

Pag. 5 v. 23 pro μακροῦ videtur quidem scribendum esse μακρᾶς (sc. συλλαβῆς); sed eiusmodi formae, ubi femininum exspectatur, ponitur neutrum genus, tam frequentes reperiuntur, ut scriptorem horum adiectivorum neutrum genus pro substantivo habuisse eluceat. Similis res est in schol. Heph.

Pag. 6 v. 2 scr. ἄρτιαι. In sequentibus verbis excidisse quaedam puto. Inde enim a v. 7 scriptor exponens unde pes pyrrhichius nomen ceperit, postquam pyrrhicham commemoravit, sic pergit: (πυῤῥίχιος δ' ἐκλήθη) — ἢ διὰ τὸ ἔχειν βραχύτατον τὸν χρόνον τῶν λοιπῶν δισυλλάβων ποδῶν. Hinc apparet, alteram eum nominis illius interpretationem dare velle; sed verba modo allata nihil eiusmodi continent. Itaque hunc locum de iis esse opinor, in quibus propter similes voces librarii festinatio atque inconsiderantia alteram partem omisit. Quae qualis fuerit cum nec scholia Heph. p. 167 vel fragmentum Ambros. p. 4, nec Draconis verba p. 127 ad liquidum perducant, ipsius Trichae alius locus videtur ansam praebere (p. 22, 17 sqq.), quem secuti in hunc modum supplemus, v. 10: καὶ βραχύτατον, ἢ ἀπὸ τοῦ (vel διὰ τὸ) π ρ ο έ χ ε ι ν τῶν ἄλλων ποδῶν διὰ τὸ ἔχειν κ. τ. λ. Multo quidem levior esset mutatio, sed dubito num rectior, si ἢ particulam eiiceremus

et quae eam sequuntur verba pro antecedentium epexegesi haberemus; sed tum neque cur ἤ positum sit intelligitur et vereor ne vox σύντομον ὄντα καὶ αὐτὸν καὶ βραχύτατον διὰ τὸ ἔχειν βραχύτατον τὸν χρόνον e. q. s. languidior sit, quam quae tolerari queat.

Pag. 7 v. 5. καταληκτὰ corrigendum in καταληκτικά.

v. 14. Λείπεσθαι verbum quoniam ubique fere a Tricha dativo casu struitur, ut supra memoratum est, hic quoque videtur legendum esse τελείῳ ἁπλῷ ἑνὶ λείπεται ποδί.

Pag. 8 v. 6. Ἀνακρόντειον scr. pro Ἀνακρεόντιον pariter atque v. 10 et alibi saepenumero, quod semel correxisse satis habeo.

v. 8. exemplo, ut dimeter iamb. acat. fiat, duae syllabae addantur oportet, hunc in modum Ἡ τῶν ἀμίκτων ἐντόκῳ.

Pag. 10 v. 17. scr. τὰ πολλά.

v. 26. Censeo ⏑ — ἴαμβον eiiciendum esse; neque enim trochaicum metrum ulla in sede iambum committit. Eadem de causa idem dudum censuit Pauwius in Hephaest. enchiridio (p. 35 adn. m.), cuius nonnulli codices hanc vocem exhibent, cum praestantiores omittant.

Paginae 11 initium corruptum et lacunosum esse patet. Quod qui redintegrare studet quid suppleat non diu dubitabit cum intellexerit, scriptorem metrum iambicum et trochaicum inter se comparare et opponere velle. Ipsa quidem Trichae verba, nisi quod vix ea dissimilia fuisse servatis iure opinamur, difficile sit divinare, sententiam vero persuasum habeo hanc fuisse: v. 1 ἀνάπαιστον, ἐνταῦθα — χώραις· (τουναντίον ἅπαν enim notum est adverbii vices gerere) καὶ ὅπως ἐκεῖ τὸν ἀνάπαιστον ἐν ταῖς ἀρτίαις παραλαμβάνεσθαι ἐλέγομεν διὰ τὸ ὑπὸ βρα-

χείας ἄρχεσθαι καὶ τούτῳ κοινωνεῖν τῷ ἰάμβῳ, οὕτως ἐνταῦθα e. q. s. Cf. Heph. p. 39 v. 14 sqq.

v. 15 πλεονάζειν quam πλεονάζον malim; sed nolo hoc premere.

Pag. 12 v. 1 scrib. τῷ.

v. 9. iterum lacuna statuenda est in verbis ἰθυφαλλικὸν ὀνομάζεται διὰ τὸ ἐπὶ ἰάμβου. οὗ χάριν κτλ, cui forsitan ita mederi possimus: διὰ τὸ ἐπὶ Ἰάκχου ἑορταῖς (vel πομπῇ) αὐτῷ χρῆσθαι, οὗ χάριν ..., vel si quis in eo offendit, quod pronomen relativum οὗ longius abest a substantivo suo: διὰ τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι ἐν ταῖς ἑορταῖς (ταῖς τοῦ) Ἰάκχου, οὗ χάριν κτλ. De Dionyso autem hoc loco actum esse apparet ex sequentibus: οὗ χάριν καὶ ὁ ἰθύφαλλος παραλαμβάνεται; unde simul Tricham intelligitur sententiam, non verba scholiastae Heph. secutum esse, qui p. 39 haec habet διὰ τὸ ἐπιζεύγνυσθαι ἰάμβοις ἐν τῇ τοῦ ἰθυφάλλου πομπῇ.

v. 12. pro Εὐριπίδιον, quae est forma deminutiva Εὐριπίδου nominis, scribendum est Εὐριπίδειον, et sic ubique.

v. 14. Metri causa transponenda sunt verba in hunc modum θεοῖο νύμφα μοι. cf. p. 12, 23.

v. 15. Excidisse nonnulla post verba βραχυκατάληκτα δὲ, argumento est, quod versus, exempli gratia collocatus non brachycatalectus est, sed catalecticus et quod v. 16 scriptor ita pergit: τοῦτο δὲ τὸ καταληκτικὸν τρίμετρον etc. Quid autem exciderit et qua ratione facile perspicitur. Itaque sic fere supplendum erit: βραχυκατάληκτα μὲν, ὡς τὸ, βασίλεια καλλίπαι θεοῖο. καταληκτικὰ δὲ, ἃ χοροῖς (pro χώραις) etc. Neque aliter iudicandum est de

v. 26, ubi ex Trichae more (cf. 8, 18; 16, 10; 18, 22; 19, 26 et alibi saepe) post τετράμετρα δὲ καταληκτικὰ τροχαϊκὰ inserimus haec: τὰ προκείμενα τρία ἔπη,

vel ἕκαστος τῶν ἐκτεθέντων τριῶν στίχων vel simile quid.

Pag. 13 v. 5. Hic et ubique scr. Καλλιμάχειον.

v. 9. scrib. ἑβδόμην.

v. 10 sq. ἢ σπονδεῖον necesse est mutetur in ἢ χορεῖον. cf. 10, 26. Schol. Heph. 187, 21.

v. 23 scr. ἡρῷον.

Pag. 14 v. 9 vix dubium sit, quin pro ὅτε sit ὅτι intelligendum.

v. 29. τρίμετρον καταληκτικὸν εἰς δισύλλαβον corrigendum est sic: εἰς συλλαβήν; loquitur enim scriptor de hoc versu — ◡◡ ◡◡ — ◡ ◡ — . cf. v. 27.

Pag. 15 v. 10 scr. συνεμπέσῃ.

v. 14. Pro αἳ τοῖς πέντε ex Trichae dicendi consuetudine scribendum est οἳ τοῦ πέντε, οἳ sc. πόδες (cf. v. 20, ubi pari modo αἳ in οἳ emendes, et praeter multos alios locos p. 30 v. 16).

Pag. 16 v. 1. χρῆσθαι verbum cum sit deponens, pro πολλαχοῦ κεχρημένον legendum existimo πολλαχοῦ (αὐτῷ) κεχρημένοις, nisi forte genetivus quem vocant absolutus praeferendus videtur: Ἀρχιλόχου καὶ Ἀλκμᾶνος — κεχρημένων.

v. 5. uti hic, sic ubique Σιμμίειον, Σιμμίου scribendum erit, duplicata μ littera.

v. 13. propter antecedentem vocem Ὁμήρῳ librarius pro Κάστορα Κάστηρα scripsit

v. 17. ἐπὶ πάντων διμέτρων, quod lex de qua sermo est in omnia metra cadit, videntur corrigenda esse in πάντων μέτρων.

v. 27. Scriptor cum antea (v. 13 et 23) integros posuerit hexametros, consentaneum est, idem hic factum esse; quapropter scribimus (Hesiod. O. et D. v. 546 sq.) Ἠῷος δ' ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος (v. 28) ἀὴρ πυροφόρος τέταται κτλ.

Pag. 17 v. 4 scribas velim *κοινοῦ δακτυλικοῦ.*

v. 14. pro *τὴν κατακλεῖδα ὁμοίως τροχαῖον ἢ σπονδεῖον ἢ τροχαῖον* scr. *ὁμοίως δάκτυλον ἢ σπονδεῖον* Cf. Heph. p. 44.

v. 16. scrib. *αὐτῷ.* Ibidem corrupta videntur quae liber habet: *ὁ δὲ πῶς ἐπὶ τριῶν στίχων τῶν ἐκτεθέντων ἐπιτετηδευμένως ὁ μὲν πρῶτος τροχαῖον ἔχει τὸν πρῶτον πόδα, ὁ δὲ δεύτερος σπονδεῖον κτλ.* Quid enim est *ὁ δὲ πῶς*? Quod sane in promptu est coniicere, *ὁ δὲ πούς*, propterea non probabile videtur, quod in sequentibus verbis apparet *στίχος* vocabulum esse subiectum; etenim qui dici possit *ὁ δὲ πούς ὁ μὲν α' τροχαῖον ἔχει τὸν πρῶτον πόδα*? Deinde videtur suspecta esse *ἐπὶ* praep., quae melius abesset. Nescio tamen an huic loco opem tulerim *ὁ δὲ προςέτι* proponens, ut supplendum sit *ὁ δὲ — πρῶτος τῶν τριῶν στίχων.* Fortasse transponendum in *ὅπως δὲ* et lacuna statuenda est, quamquam quomodo explenda sit non liquet.

v. 27. Forsitan scribendum sit *εἰς τὸ ἢ ἰαμβικὰ* pro *εἰς τὸ καὶ ἰαμβικά*; saepius certe *καὶ* et *ἢ* in hoc libro confunduntur.

Pag. 18 v. 9. *πολλαχοῦ αὐτοῦ* corrigas in — *αὐτῷ*, quam in vocem librarius antecedentis exitum perperam transtulit.

v. 10 scr. *φανέντα* pro *φανέεντα*, et sic ubique; pari modo v. 13. *καταληκτικὸν* pro *κατάληκτον.*

v. 27. *τοσαῦτα καὶ* traiicias in *καὶ τοσαῦτα.*

v. 29. pro *λογοαοιδικοῦ* ubique scr. *λογαοιδικοῦ*, tametsi prior forma tam frequens reperitur, ut videri possit consulto sic scripta esse.

Pag. 19. v. 8. scr. *ἀοιδοῖς* et

v. 10 *ἰδέαις* pro *ἰδίαις.*

v. 11. post *τὴν λογοειδῆ* quod desideratur substan-

tivum, *λέγων* vero ut supervacaneum languet, arbitror legendum esse *τὴν λογοειδῆ λέξιν κτλ.*

v. 13. scr. *σύγκεινται* plurali numero, et

v. 26. *ἐπετηδευσάμεθα.*

Pag. 20 v. 6. *οὐ μὲν ἀλλ' οὐδὲ* corrig. in *οὐ μὴν.*

v. 19. scr. *καὶ θεὸν ἁμερίοις βροτοῖσί γε*; schema enim hoc est — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓.

v. 26. in *τὰ ἐφ' ἑκάστῳ τούτων καὶ μίαν — καὶ* particulam delendam puto.

Pag. 21. v. 14. post *ὅπερ* inserendum videtur *δέχεται.*

v. 22. inter verba *ὁ δὲ* et — *καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἔφαμεν γίνεται* nonnulla excidisse videntur, quae si versuum 17 et 19 ratio habeatur, sic explenda sint: *ὁ δὲ βακχεῖος (ὡς) ἐπὶ τὸ πλεῖστον ὡς ἔφαμεν.*

Pag. 22 v. 2. scr. *δυνάμενοι* pro *δυναμένων.*

v. 4. pro *ἀνὰ* praep., quae nisi apud Homerum cum genetivo non coniungitur, quod sciam, *ἄνω* scribendum reor.

v. 7. *τῷ μέτρῳ πόδα καὶ σπονδεῖον* legendum sit. In sequentibus, ubi scriptor postquam (v. 10) dixit (*τὸ ἀναπαιστικὸν μέτρον*) *προκελευσματικὸν καὶ δάκτυλον ὡς ἐπ' ἔλαττον* (*δέχεται*) sic pergit *πλὴν τὸν προκελευσματικόν, ὅς ἐστιν ἐκ τεσσάρων βραχέων κτλ*, quod apparet non posse recte dictum esse, viri doctissimi institutione utor, si *πλὴν* propter Byzantinorum pronuntiationem falso scriptum pro *πλιν*, hoc vero nihil esse statuo nisi scribendi compendium vocabuli usitatissimi *παραλαμβάνουσιν* unde hic locus sic restituendus est: *παραλαμβάνουσιν δὲ τὸν προκελευσματικὸν κτλ.*

v. 27. *ὅτι* particula eiicienda, nisi forte ex *ἔτι* depravata putetur.

Pag. 23 v. 2. scr. *πυῤῥιχιακὸν* ,v. 3 *ἀποθέσεις.*

v. 18. post *δύναται δὲ* credo inserendum esse *καὶ*, quod excidit propter sequens *κατά*.

v. 25. in voce *ἐφθημερικὸν* omissam esse syllabam patet; scr. *ἐφθημιμερικόν*. Cf. p. 48, ubi totus hic locus repetitur.

Pag. 24. Versus 8 ut fiat trimeter anapaest. catal. in syll. legendus est: *ἵνα λῷον ἄγοις κατὰ σόν με θέλημα ὁδήγευσ'*, ◡◡—◡◡—◡◡—◡◡—◡◡—⏓.

v. 13. pro *ἢ* legatur *ὃ*, sc. *τρίμετρον*. — v. 15 scr. *κόρα*, propter metrum.

Pag. 25 v. 18 scr. *Ἀρχεβούλειον*; eodem versu in verbis *ἅτε δὲ* — *δὲ* particula aut omnino tollenda est, quippe quae facillime potuerit exoriri ab extrema *ἅτε* vocis syllaba, aut mutanda in *δή*.

Pag. 26 v. 2 Scr. *καὶ περὶ τῶν ἐκ*.

v. 3 *εἴπωμεν*, v. 9 *μετρικοῖς*, v. 17, ut semper, *πούς*.

v. 25. *χορίαμβος* cum sit substantivum, hic adiectivum postuletur, scribere oportet *ἐκ χοριαμβικῶν ποδῶν*.

Pag. 27. v. 2 legendum est *μόνας ταύτας*, et

v. 3 *καταληκτικήν*; subaudiuntur enim *ὑποθέσεις ἢ καταλήξεις*.

v. 8 pro *τοῦτο γὰρ ἐκ τῶν* legendum censeo *τῶν ἐκ*.

v. 18 scr. *ἰάμβοις, εἰς ἀμφίβραχυν*. Cf. v. 15.

v. 28. Metri causa post *ἄνευ μὴ* inseratur *δέ*.

Pag. 28 v. 15 scribere oportet *Φίλικος ὁ τῆς Πλειάδος* aut *Φίλικος εἷς τῆς Πλειάδος*. Cf. Heph. p. 57, 10; Schol.

v. 29 scr. *μετὰ τὸ περὶ χοριαμβικοῦ* etc.

Pag. 29 v. 4 post *ἔπειτα δὲ* inserendum sit: *ὅτι, ἐάν*. v. 7. *πᾶς* depravatum videtur ex *πούς*.

v. 19 pro *ὅτε καὶ κύριος* nescio an legendum sit *ὅθεν*.

v. 22 *οἳ μήτε* corr. in *ὃ μήτε* (sc. *τὸ ἀντισπαστικόν*).

Pag. 30 v. 9 inter ἀκατάληκτον et καταληκτικὸν ponendum est καί.

v. 12 pro ἄλλως τε δὲ scr. ἄλλως τε καί.

v. 19 scr. δοχμιακόν; cf. p. 49. — v. 21. post ὅσον adiiciendum ὡς (ἔνιοί φασιν).

v. 26 scr. τούτῳ χρησαμένου, et v. 31 περὶ συμμίκτων ἀντισπάστων. Cf. p. 29, 25 sqq.

Pag. 31 v 7 αὐτὸ emendandum videtur in τούτῳ; contra v. 9 αὐτὸ scribendum pro αὐτοῦ.

v. 14 legendum est Φαλαίκου, est enim genetivo opus.

v. 15 post τὴν τελευταίαν inserendum est χώραν vel βάσιν.

v. 29 post Σαπφικὸν — καὶ eiiciendum sit, cf. p. 49. Heph. p. 67.

Pag. 32 v. 2 ut exemplum propositum fiat tetrameter antispast. hypercat. vox addenda est, quae antispastus sit: ὁδῷ δ' εἶν ἀβάτῳ καὶ παρ' ἐρήμαισιν ἀρούραισιν ὤν,
⏑ — — ⏑ | ⏑ — — ⏑ | ⏑ — — ⏑ | ⏑ — — ⏑ | ⏓.

v. 9. κέχρηται δὲ corrigatur oportet in κέχρηται γάρ; nam haec sententia causam affert antecedenti. — v. 12 pro ἀρκείτο τοσαῦτα scr. ἀρκεῖ τοσαῦτα.

Eadem pagina, inde a verbis (v. 19) παρ' ὅσον ἐκεῖνα μὲν usque ad haec (v. 21) ἐφεξῆς καὶ περὶ τῶν scripturam corruptam habeo, sed cuius emendatio mihi nondum prospere cessit. Etiamsi enim pro ἐκεῖνα — ἐκείνων scribamus, ut coniungatur cum χοριαμβικῶν καὶ ἀντισπαστικῶν, non multum profecimus; nam et ἐκεῖνα μὲν, cui non respondet ταῦτα δὲ vel simile quid, et φησί, quod mutari quidem potest in φημί, satis dilucide ostendunt, excidisse complura, quae qualia fuerint eo difficilius divinetur, quod mea quidem sententia nihilo secius quae necesse erat proferre, prolata sunt. Opponit nempe scriptor choriambicum et antispasticum metrum ionicis, quorum altera si mixta

sint, iambos recipiant, altera trochaeos. Atqui haec re vera in libro leguntur; veri simillimum proinde erit statuere, hic quoque, ut saepius, quae exciderunt fere eadem continuisse atque alteram sententiae partem, inde a verbis ἐφεξῆς περὶ τῶν ἰωνικῶν, ita tamen, ut ad sententiae structuram quod attinet, ab adversativa particula inciperent, respondente illa — μὲν voci, post ἐκεῖνα positae.

Pag. 33 v. 1 scr. διὰ τὸ πολλὴν συγγένειαν ἔχειν.

v. 19 pro οὗτος — οὕτως.

Pag. 34 v. 22 scr. διειλήφαμεν.

Pag. 35. v. 6. leg. μιᾷ συλλαβῇ.

In versu 8 manifesta est lacuna; desideratur enim alterum ἢ, quod exspectatur e verbis v. 7 τιθέασι καὶ ταῦτα οἱ Αἰολεῖς διχῶς. Quid supplendum sit concluditur e loco p. 50 v. 19 sqq. et ipso quidem depravato, sed alium in modum; quo considerato sic scribendum duco: διχῶς· ἢ γὰρ δυσὶν ἰωνικοῖς δύο τροχαϊκὰς ἐπάγουσι διποδίας ἢ τρισὶν ἰωνικοῖς τροχαϊκὴν διποδίαν μίαν.

v. 22. ἀπὸ σπονδείου scribendum et fortasse ἐστὶ inserendum est; certe post πυῤῥίχιον colon ponendum.

Pag. 36 v. 9 scr. ἀῤῥυθμίαν.

v. 13 ἢ μονοποδίαν nisi mutandum censetur in ἢ μονόμετρον, prorsus eiiciendum sit; nihil enim Hephaestio p. 71 sq. de monopodia, quae neque hic neque pag. sq. v. 6 ferenda. Ceterum post πόδα (v. 14) virgula demenda, contra ante τὸν πρὸ (v. 13) collocanda est.

v. 19 scr. ἀφεγγέσσι, duplicato σ; ionicum enim a minore purum desiderari, colligitur ex versus 20 verbis ὁ μὲν εἷς (στίχος) καθαρός.

v. 20 scrib. ἐναλλάξ; et v. 21 pro μονοποδίᾳ intelligendum esse διποδίᾳ versus demonstrat qui explicatur: κραδίην μέσην γυναικός ⏑⏑ — ⏑| — ⏑ — ⏑.

Versus 28 falso interpunctus et propterea ab ipso Furia ut videtur falso intellectus, sic restituendus sit: ὑπερ-

κατάληκτα, ὁμοίως τῷ ἀπὸ μείζονος ἰωνικῷ. καὶ e. q. s.

Pag. 37 v. 4 post *τούτῳ* addenda sunt, quae in margine libri exstant: *δίμετρον ἀκατάληκτον*; talem enim versum conformat vox subsequens *ἀπάγοις ἐκ κακότητος*.

v. 6 *μονοποδίᾳ* corrigendum est in *μονομέτρῳ*; remittimur enim a scriptore ad hymni versus 38 sq. quorum hi sunt numeri ⏑⏑—⏑|—⏑—⏑̄. Cf. praeterea huius pag. v. 12 sqq. unde eundem syllabarum ordinem constituere cogimur: anapaestum, duo iambos et syllabam ancipitem.

Pag. 38 v. 5 scr. *κλάσιν*.

v. 8 scr. *τετράμετρον δὲ καταληκτικόν*.

v. 11 leg. *ὅ τε*.

v. 14 scribendum est *Γαλλιαμβικὰ* et paullo post v. 19 *Γαλλοὶ*, et sic ubique; pariter *μητρῳακά*.

v. 15 lege *ἱερεῖς* pro *ἱεροῖς*. Eodem loco aliud quoque vitium latere suspicor. Quid enim? quomodo potest Galliamborum nomen sic explicari, ut hic fit, *διὰ τὸ πολλοὺς οἵτινες ἱερεῖς ἦσαν τῆς Δήμητρος τῷ τοιούτῳ μέτρῳ χρῆσθαι*? Nonne haec verba alterius potius nominis, *μητρῳακῶν* interpretationem praebent? Quam ob rem non dubito, ne nimis mutandum sit, pro *διὰ τὸ πολλοὺς* — *διὰ τὸ Γαλλοὺς* scribere. Cf. schol. Saibant. p. 73.

v. 19. praestare videtur *καὶ οἱ Γαλλοὶ γάρ*.

v. 27. scr. *εὕρηται*.

Pag. 39 v. 13. scr. *τὸν ἐκ*.

v. 23 inserendum est *εἰς*: *τὴν διάλυσιν ἐποιήσαντο εἰς πρῶτον παίωνα*; atque eadem ratione

v. 24. pro *ὡς πρῶτον* scribendum est *εἰς πρῶτον*. Ibid, leg. *ὠνομάσθη*.

v. 25. malim *τῶν παλαιῶν ποιητῶν*.

v. 27. scr. *βραχείας*.

Pag. 40 v. 1. *βραχειῶν* corrigendum est in *βακχείων* et fortasse *προςέθηκαν* in *συνέθηκαν*. cf. v. 6.

v. 15. Legendum videtur ἐπήγομεν.

v. 16. post εὑρίσκεται ins. ἐπὶ sive παρά. — v. 30 post βακχειακὸν punctum requiritur.

Pag. 41. Tricha cum ubique, ut supra expositum est, in metris enumerandis a brevioribus ad longiora, a catalecticis ad acatalecta procedat, nullo praetermisso, verisimile est, v. 15 post παρελήφθησαν lacunam subesse, quae ita sarcienda sit: κρητικὸν δὲ, οἷον τὸ, ἵνα τοι ῥύσι' ἄσαιμι σωθείς γε. ἀκατάληκτον δὲ τετράμετρον, παιωνικὸν μὲν τὸ, στρατὸν ἀπερείσιον ἀεσσίφρον' ἀπεχθέα γε. κρητικὸν δὲ, ἵνα τοι ῥύσὶ ἄσαιμι σωθεὶς βρόχων· τετράμετρον δὲ ὑπερκατάληκτον, παιωνικὸν μὲν, ὡς τὸ, στρατὸν ἀπερείσιον ἀεσσίφρον' ἀπεχθέα ἐμοί. κρητικὸν δὲ οἷον τὸ et quae sequuntur.

v. 16. scr. βρόχων; item v. 18.

v. 28. scr. παρ' ὅσον μονώτατον.

v. 30. legas oportet καὶ τῷ χοριαμβικῷ καὶ τῷ ἀντισπαστικῷ; cf. Schol. Heph. p. 175.

Pag. 42 v. 12. scr. οἷον διμέτρου καὶ τριμέτρου.

v. 19. scr. κἄν, et ἐκ pro εἰς.

v. 21. ἀλλὰ τὸ ὅτι nescio an corrigendum sit in ἀλλὰ τότε.

v. 22. δεχομένης optime tollitur.

v. 27. ἐγνωσμένου τούτου scribend, quo facto omnis dubitatio sublata est.

Pag. 43 v. 4. scr. ἀλλ'; v. 24 ὑποθέσει;

v. 29. ἐν τοῖς.

Pag. 44. Inde a versu 6 usque ad v. 10 difficilis est locus, sine dubio corruptus, qui sitne sanatus, si v. 8. sq. τὰς δύο συλλαβὰς μίαν καὶ ποιεῖν et v. 10 ἢ κατὰ συστολὴν scribas, ipse dubito. Cf. 45, 8. Aeque intricata res est.

v. 16. ubi pro εἰ μὲν κατὰ συλλαβὴν περιττότητα scribere velim ἡ μὲν κατὰ συλλαβὴν περιττότης ποιεῖ.

v. 18. scrb. ἕως ὁ, sine accentu, et

v. 29. συνιζάνεται τὸ δε μετὰ τοῦ ῶ.

Pag. 45 v. 1. scr. ἐπεὶ πολύ.

v. 4. καὶ delendum videtur propter versus 3 vocem ἀεί. — v. 6 scr. ἔφαμεν.

v. 31. ante τόνδε τὸν λόγον excidit κατά; cf. p. 46, 2.

Pag. 46 v. 5. lege ἔτενόν τοι pro τι; in τοι enim longa syllaba summa hic rei vertitur.

v. 6. sqq, intellectu difficiles ita muto: ἢ ἐὰν τὰ δοκοῦντα ἐκτείνειν δύο σύμφωνα ἀμφότερα ἄφωνα ὦσιν, vel σύμφωνα ἕπωνται καὶ etc.

v. 12. αὐτοδιόρθωτος, quae vox in lexicis frustra quaeritur atque idcirco depravationis suspicionem movet, nihilominus tamen tuenda sit, et sic interpretanda: locutio quae se ipsa excusat et defendit.

v. 20. scr. ἄνευ λόγου.

v. 24. διευλυτώσεως, quod monstrum est, emendandum videtur in δι' ἀληθεύσεως. Ἀλήθευσις vox et ipsa rara est, sed reperitur apud Sext. Emp.

Quae inde ab ἡνίκα leguntur usque ad paginae finem primo adspectu multis vitiis obruta et contaminata videntur, sed satis appositam praebent sententiam, si v. 25 ἡνίκα καὶ mutetnr in ἡνίκα μή.

v. 28 scr. τομῶν, et v. 29 τετεχνολογηθήσεται.

Pag. 47 v. 1 scr. περὶ τομῶν.

v. 8 pro διαμέτρῳ τρίμετρον manifestum est legi oportere διμέτρῳ· τρίμετρον.

v. 9 post συλλαβὴν comma delendum est, contra ponendum post Ἀρχιλόχειον. Cf. p. 15 v. 13.

v. 10 aut scribendum est Ἀλκμανικὸν pro Σιμμίειον (sic enim σημίειον emendandum) aut pro τετράμετρον καταληκτικὸν εἰς συλλαβὴν — πεντάμετρον καταληκτικὸν εἰς δισύλλαβον. Probant hoc p. 15, 22. p. 16, 5. He-

phaest. 42, 2. Equidem priorem mutationem praeferre non dubito, nam et levior est et facillime explicatur librarii vel eius qui excerpsit socordia.

v. 14 post *ἀδιαφόρους* virgula tollenda est, nisi satius ducitur *ἀδιαφόρως* legere. cf. p. 17 v. 12.

v. 16 in unam contrahantur voculam oportet *τέσσαρες καὶ δεκασύλλαβον*.

v. 21. Nescio an *ἢ ἕνα* verba uncis includere vel omnino eiicere praestet, si rationem habeamus eorum quae Tricha p. 19 v. 3 sq. dicit: *τοῦτο (δὲ δέχεται κτλ) πλὴν οὐκ ἀδιαφόρως τὸν τυχόντα (πόδα), ἀλλ' ὡρισμένως τὴν διποδίαν τροχαϊκήν*. Cf. Heph. p. 46, 10.

Pag. 48 v. 8 Scriberem *ὅτι καὶ κατὰ διποδίαν* (Trichae 23, 8 sq. coll. ibid. v. 15) mutatione levissima sane, cum *καὶ* propter sequentis *κατὰ* similitudinem facillime potuerit omitti, nisi saepius qui excerpsit ubi liber duas res praeberet alteram elegisset, alteram despexisset.

v. 10. Pro *εἰς δισυλλαβίαν* scribi necesse est *εἰς συλλαβήν*. Cf. Trich. p. 23, 25. Hephaest. p. 51, 1 sqq. schol. mai. p. 192, 9.

v. 17. scr. *Καλλιμάχειον*. cf. 13, 5.

v. 21 Non errare mihi videor, si ad omnium in hac parte initiorum similitudinem, eam qua excerpta esse significantur vocem addens, *ὅτι τὸ χοριαμβικὸν* scribend existimo.

v. 23 scr. *ἀποθέσεις — καταληκτικήν*.

v. 25 librarii festinatio *τετράμετρα* scripsit, ubi intelligenda sunt *τετρασύλλαβα μέτρα*.

v. 31 scr. *κατακλεῖδα*.

Pag. 49 v. 5 *ἴαμβον* corrigere velis in *ἰάμβους*; cf. p. 29 v. 27.

v. 11 *σύμμετρον*, quod nihil est nisi *δίμετρον* antecedens, falso repetitum, tollendum censeo. Cf. p. 30 v. 28 et p. 31 v. 1, ubi nihil de *συμμέτρῳ*.

v. 12 leg ἐν ὄρφναις — ἀφεγγέσσι.

v. 19 scr. Ἀσκληπιάδειον — v. 21 παρομάρτει.

v. 22 δὴ vocula cum non possit cum antecedentibus verbis coniungi, quod metrum turbat, aut tollenda est, aut ante δὴ inserendum ὁ, et ὁ δὴ cum sequentibus connectendum, ut est p. 31, 26.

v. 23 πρὸ αὐτοῦ corr. in πρὸ αὐτῆς (sc. διποδίας).

v. 26. Idem vitium est atque pag. 32, 2, desideratur antispastus, quem ita inserimus ἐρήμαισιν ἀ ρ ο ύ ρ α ι σ ι ν ὤν.

Pag. 50 v. 3 leg. τ ὸ ν ἰωνικὸν.

v. 6 scr. καταληκτικήν.

v. 7 sq. pro δίμετρον βραχυκατάληκτον scr. δίμετρον καταληκτικόν.

v. 9 scr. Τελεσίλλειον; ibidem ποκὰ ποτνὰ σέθεν, quod p. 34, 4 recte legitur. Nec minus v. 16 sq. sic corrigendum ποκὰ ποτνὰ σὸς ἐπ' ἄμμιν.

v. 19 τροχαϊ supplendum est in τροχαϊκὰς et v. 20 scr. διποδίας.

v. 22 scr. Αἰολικὰ δὲ.

v. 28 ἐναντίως τ ο ῦ.

Pag. 51 v. 8 pro μονοποδίᾳ scribendum est μονομέτρῳ iisdem de causis atque p. 37, 6, ubi vidimus idem esse vitium. v. 14 scr. τούτῳ.

v. 19 pro παίων, τρίτος καὶ scr. παίων τρίτος, καί.

v. 20 τροχαῖος emendetur in διτροχαῖος; alioquin versus non est tetram. brachycat; cf. p. 38, 3.

vv. 27 et 29 scr. Γαλλιαμβικὰ, v. 29 Γαλλῶν

v. 27 μητρῳακά; cf. p. 38, 11. — v. 28 Δήμητρι.

Pag. 52. v. 8 ὡς ἐπ' ἔλαττον.

v. 12 pro καταληκτικὸν scr. ἀκατάληκτον, ut ex ipso versu apparet.

v. 14 ᾄσαιμι σωθεὶς [ἐκ] βρόχων.

v. 16 post ἀντιπάλων punctum delendum.

v. 17 scr. Βακχυλίδειον.

Omittimus hinc de industria, ut supra promisimus, largam critico messem, scholia Pindarica, quae quantum prodesse possunt, proderunt in Pindari editione Boeckhiana (II, 1), et traiicimus ad paginam 70, cuius in v. 15 licet non modo scholium Saibant. p. 164 verum etiam scholia maiora p. 163 v. 20 praebeant leetionem ἄρσιν ἢ θέσιν, credo tamen nihilominus scribendum esse ἄρσιν καὶ θέσιν. Non enim agitur hoc loco de pedum in ordinem metricum coniunctione, ubi sane alter potest arsis esse, alter thesis; sed de ipsis pedibus, quorum nullus est, quin et arsin et thesin complectatur. Atque erroris origo in aperto est; facillime enim illorum temporum pronuntiatione ἢ et καὶ poterant confundi, et re vera confundebantur, cuius rei in hoc ipso Trichae libro complura invenimus exempla. Cf. p. 17 v. 27 et p. 46 v. 25.

v. 21 scr. πούς.

v. 24 pro πῶς scribendum arbitror πόδες.

Pag. 71 v. 14 scr. ἢ λάθετ' ἢ οὐκ.

v. 16 scr. βραχείας; ibidem βριάει. Cf. Hesiod. Op. et di. 5.

v. 17. scr. τοῦ ῡ καὶ τοῦ ῑ

v. 20. δαέρων ἢ γαλόων cf. Iliad. 24, 769.

v. 22. sqq. ὅτι δὲ τὸ Ἕκτωρ ἐμῷ θυμῷ δύναται συνεστάλθαι τὸ ᾱ nemo non videt corrupta esse, quae forsitan traiectione sanemus: ὅτι δὲ καὶ δύναται συνεστάλθαι τὸ ᾰ, δῆλον ἐκ τοῦ, Ἕκτορ ἐμῷ θυμῷ δαέρων; antecedunt enim (v. 20) ὅτι δὲ τὸ ᾱ μακρόν ἐστι, δῆλον ἐκ τοῦ, δαὴρ δ' αὖτ' ἐμός.

Pag. 72 v. 1. scr. καὶ συνέσταλται τὸ ᾰ.

v. leg. Ἆρες Ἄρες; v 4 Ἀθήνη (Il. 10, 277).

v. 5. δενδρέῳ; v. 6 ἐφεζόμενος

v. 7. τρέε δ' Ἀΐδης (Hes. Theog. 850).

v. 10. συλλαβῇ; v. 11 ἣ γάρ.

v. 13. πλέονές κε; v. 15 ἐκκρῖναι.

v. 18. pro ὑγιεινά legendum est ἠγί — νεον cf. Il. 18, 493.

v. 20. sq. scr. τῶν ἀεί σφιν (Odyss. 14, 105).

v. 21. ἀγινεῖ; v. 27 λόγου τινός.

Pag. 73 v. 1. scr. πολέεσσ' ἀνδρέσσι cf. Il. 13, 452.

v. 2. item πολέεσσ'; v. 6. ἠδὲ φιλομμηδέα ὅτι cf. Hes Theog. 200.

v. 9. τῷ κάλεον. Quae inde a v. 11 sequuntur apparet postea addita esse.

v. 13. Excidisse quaedam et sententia docet, nec quid supplendum sit in dubio relinquunt scholia Hephaest. maiora (p. 163, 5), quae secuti sic locum restituimus. ἡ δὲ συνίζησις οὐχ ὡς γράφεται καὶ λέγεται, ἀλλ' ἐν τῷ βαίνειν κτλ.

v. 15. scr. μόνην; v. 19 καθεσθέντες.

THESES.

1. Perniciosius esse si praeceptor a discentibus parum quam si nimium poscat contendo.
2. Pueros quartae iam classis Latine loquendo paullatim assuefacere adeo non ineptum est, ut, modo considerate agatur, utilissimum sit.
3. Quae in Hephaest. enchir. cap. V inde a verbis ἐπειδὴ δὲ πᾶσα μέτρου ἀρχὴ ἀδιάφορος ad fin. leguntur, ea maioris alicuius Hephaestionei operis fragmentum esse iudico.
4. Eur. Hel. versum 205 (Kirchh.) scribendum reor Κάστορος δὲ συγγόνου τε.
5. Assentior Heinrichio qui in editione sua Persii prologum Persianum e duabus conglutinatum esse partibus statuit, separandis illis potius quam coniungendis.
6. Versum quem post prol. Pers. v. 8 editores plerique omnes eiecerunt: Corvos quis olim concavum salutare, habere quo se commendet existimo.
7. Hertzbergius quae in Quaestt. Propert. p. 141 m. sq. de usu participii fut. (act.) eleganti, Propertii proprio, disputavit, ea persuasum habeo speciosius quam verius dicta esse.

VITA.

*Augustus Jung natus sum Nissae anno h. s. XXXIV non. Aug. patre **Augusto**, rem musicam in ecclesia curatiali et gymnasio regio Nissensi regente, matre **Francisca** e gente Ratzke, qui optimi carissimi ut tranquillam senectutem adepturi sint Deum precor. Fidem profiteor catholicam. Postquam litterarum elementa in ludo publico didici, anno h. s. XLV sub directore rev. nunc beato Scholz gymnasium Nissense frequentare coepi, unde praeceptorum doctissimorum, quibus gratias ago maximas, assiduo studio provectus et a directore clariss. Zastra, phil. dr. cui quantum debeam gaudeo quod occasio data est publice profitendi, maturitatis testimonio instructus hieme a. LIII almam litterarum universitatem Viadrinam adii, et a v. ill. Abegg, tunc rectoris magn. munere fungente, inter cives academicos receptus nomen dedi apud v. ill. Frankenheim, ampliss. phil. ordinis tunc decanum. Hinc per quinquennium philologiae philosophiae historiae operam navans viror. ill. Ambrosch, Baltzer, Behnsch, Bernays, Braniss, Cauer, Haase, Junkmann, Kahlert, Mommsen, Roepell, Rossbach, Rueckert, Schmoelders, Suckow, Wagner lectionibus interfui, nisi quod morbo satis gravi correptus proximi anni aestatem Vratislavia absens ut degerem co-*

*gebar. Hieme interim a. LV a viris ill. Schneider et Haase ad seminarii philologici exercitationes admissus per V. semestria earum particeps fui, cum Schneideri, quem paullo post morte nobis ereptum doleo, tum praecipue **Haasii** et postea **Rossbachii** simul uberrima institutione utens, quorum uterque et doctrina et benevolentia egregie de me meritus in omne me tempus sibi devinxit, alter praeterea, v. ill. Rossbach, de Tricha ut quaererem me hortatus in conscribendo hoc opusculo libentissime et libris et consilio me adiuvit. His igitur et omnibus reliquis viris ill., quorum scholas pari fructu ac voluptate audivi, gratias ago semperque habebo maximas. Nec possum prof. ill. **Lud. Gitzler** eximiam humanitatem silentio praetermittere, qui me, ex quo filium eius informandi munus gratissimum susceperam, et privatae suae consuetudinis participem fecit, et, quae est eius indoles, beneficiis cumulavit; quapropter nunquam eius recordatio et memoria mihi evonescet. Denique decani spect. C. J. **Loewig** comitatem maximam laudare me par est, qua quae ab eo petii cum ipsius paene incommodo explevit.*